OFFICIA PROPRIA CANADENSIS DITIONIS

PARS PRIOR

In Cathedr. Victorien., Vancouver. et Reginaten.

DIE 30 NOVEMBRIS

SANCTI ANDREÆ

APOSTOLI

TITULARIS ECCLESIÆ CATHEDR.

I classis

Omnia ut in Brev.

Ad I Vesperas, ut ad II, cum ant. ad Magnif. Unus ex duóbus.

In Cathedr. Chicoutim. in Vic. Apost. Grouard et Kenvat.

DIE 3 DECEMBRIS

SANCTI FRANCISCI XAVERII

CONFESSORIS

TITULARIS ECCLESIÆ

ET IN LOCIS MISSIONUM

PATRONI PRINCIP.

I classis

In ditione Canadensi

PATRONI SECUNDARII

II classis

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio

DEUS, qui Indiárum gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre voluísti : concéde propítius; ut, cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

Et fit com. feriæ.

In I Nocturno, lectiones Beátus vir, 1° loco.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

FRANCÍSCUS, in Xavério diœcésis Pampelonénsis nobílibus paréntibus natus, Parísiis sancto Ignátio sese cómitem et discípulum junxit. Ipso magístro eo brevi devénit, ut in rerum divinárum contemplatióne defíxus, a terra aliquándo sublímis elevarétur : quod illi sacrificánti coram

pópuli multitúdine aliquóties evénit. Has ánimi delícias magnis sui córporis cruciátibus merebátur. Nam interdícto sibi, non carnis solum et vini, sed panis quoque tritícei usu, vílibus cibis vesci sólitus, per bíduum subínde triduúmque omni prorsus aliménto abstínuit. Férreis in se flagéllis ita sævíit, ut sæpe copióso cruóre difflúeret; somnum brevíssimum humi jacens carpébat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

VITÆ austeritáte ac sanctitáte apostólico múneri jam matúrus, cum Joánnes tértius Lusitániæ rex áliquot nascéntis societátis viros a Paulo tértio pro Indiis postulásset, sancti Ignátii hortátu, ab eódem Pontífice ad tantum opus cum apostólici núntii potestáte delígitur. Eo appúlsus, íllico variárum géntium difficíllimis et váriis linguis divínitus instrúctus appáruit. Quin eum quandóque único idiómate ad divérsas gentes concionántem, unaquǽque sua lingua loquéntem audívit. Províncias innúmeras pédibus semper, et sæpe nudis, peragrávit. Fidem Japóniæ et sex áliis regiónibus invéxit. Multa centéna hóminum míllia ad Christum in Indiis convértit; magnósque príncipes, regésque complúres sacro fonte expiávit. Et cum tam magna pro Deo ágeret, ea erat humilitáte, ut sancto Ignátio, tunc præpósito suo, flexis génibus scríberet.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

HUNC dilatándi Evangélii ardórem multitúdine et excelléntia miraculórum Dóminus roborávit. Cæco visum réddidit. Tantum marínæ aquæ signo crucis convértit in dulcem, quantum quingéntis vectóribus, qui siti adigebántur ad mortem, diu suffécit : qua in várias quoque regiónes asportáta, ægri plúrimi súbito curáti sunt. Plures mórtuos revocávit ad vitam, inter quos prídie sepúltum érui jussum e túmulo suscitávit, duósque álios, dum efferréntur, apprehénsa eórum manu, paréntibus e féretro vivos restítuit. Prophetíæ spíritu passim afflátus, plúrima et loco et témpore remotíssima enuntiávit. Demum in Sanciáno, Sinárum ínsula, die secúnda Decémbris, óbiit plenus méritis, laboribúsque conféctus. Demórtui cadáver viva calce per multos menses bis óbrutum, sed pénitus incorrúptum, odóre et sánguine manávit; et ubi Málacam delátum est, pestem sævíssimam conféstim exstínxit. Dénique ubíque terrárum novis maximísque fulgéntem miráculis. Gregórius décimus quintus Sanctis adscrípsit. Pius autem décimus ipsum sodalitáti et óperi Propagándæ Fídei cæléstem patrónum elégit atque constítuit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum

Lectio vii Cap. 16, 15-18

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 29 in Evang., post init.

POTEST omnis creatúræ nómine omnis nátio Géntium designári. Ante enim dictum fúerat : In viam Géntium ne abiéritis; nunc autem dícitur : Prædicáte omni creatúræ : ut scílicet prius

a Judǽa Apostolórum repúlsa prædicátio tunc nobis in adjutórium fíeret, cum hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium supérba repulísset. Sed cum discípulos ad prædicándum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? Et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

Neque étenim in univérso mundo tanta fidélium messis exsúrgeret, si de manu Dómini super rationálem terram illa elécta grana prædicántium non veníssent. Séquitur : Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit : qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat : Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera étenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit : Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Signa autem eos qui creditúri sunt, hæc sequéntur : In nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent : et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit : super ægros manus ímponent, et bene habébunt. Numquídnam, fratres mei, quia ista signa non fácitis, mínime créditis? Sed hæc necessária in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim ad fidem crésceret multitúdo credéntium, miráculis fúerat nutriénda : quia et nos, cum arbústa plantámus, támdiu eis aquam infúndimus, quoúsque ea in terra jam coaluísse videámus : et si semel rádicem fíxerint, irrigátio cessábit. Hinc est enim quod Paulus dicit : Linguæ in signum sunt non fidélibus, sed infidélibus.

Te Deum laudámus.

Oratio

Deus, qui Indiárum gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre voluísti : concéde propítius; ut, cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla. Per Dñm.

Ad Laudes et ad Vesperas fit com. feriæ.

Ubi conceditur

DIE 12 DECEMBRIS

B. MARIÆ VIRG. DE GUADALUPE

III classis

AD MATUTINUM

Invit. Sancta María, Dei Génitrix Virgo, * Intercéde pro nobis.

Hymnus

Præclára custos Vírginum,
Intácta Mater Núminis,
Cæléstis aulæ jánua,
Spes nostra, cæli gáudium.

Inter rubéta lílium,
Colúmba formosíssima,
Virga e radíce gérminans
Nostro medélam vúlneri,

Turris dracóni impérvia,
Amíca stella náufragis,
Tuére nos a fráudibus,
Tuáque luce dírige.

Erróris umbras díscute,
Syrtes dolósas ámove,
Fluctus tot inter, déviis
Tutam reclúde sémitam.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

Ad Nocturnum

Ant. 1 A solis ortu * usque ad occásum, magnum est nomen meum in géntibus.

Pss. de Communi festorum B. Mariæ Virg.

Ant. 2 Ego in altíssimis * habitávi, et thronus meus in colúmna nubis.

Ant. 3 Invénta sum * a non quæréntibus me; palam appárui iis, qui me non interrogábant.

Ant. 4 Signum magnum * appáruit in cælo: múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus.

Ant. 5 Pópulus qui ambulábat * in ténebris, vidit lucem magnam; habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis.

Ant. 6 Vidérunt omnes * términi terræ salutáre Dei nostri.

Ant. 7 Tabernáculum Dei * María, in médio Civitátis ejus, et non commovébitur.

Ant. 8 Egréssa es * in salútem pópuli tui, in salútem cum Christo tuo.

Ant. 9 Gloriósa dicta sunt * de te, Cívitas Dei: fundávit te Dóminus in móntibus sanctis.

℣. Fílii tui de longe vénient. ℟. Et fíliæ tuæ de látere surgent.

Bened. Ille nos benedícat.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 24, 5-31

Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram. Ego feci in cælis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cæli circuívi sola, et profúndum abýssi penetrávi; in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti: et in omni pópulo et in omni gente primátum hábui: et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi: et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium: et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israël hereditáre, et in eléctis meis mitte radíces.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam ascendéntem désuper rivos aquárum: cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus: * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. ℣. Quæ est ista, quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris? Et.

Bened. Cujus festum.

Lectio ii

Ab inítio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion: quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris: et quasi storax, et gálbanus, et úngula, et gutta, et quasi Líbanus non incísus vaporávi habitatiónem meam, et quasi bálsamum non mistum odor meus.

Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impleámini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient, et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Vidérunt eam. Glória. Vidérunt eam.

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

¶ Lectio contracta; secus e tribus II Nocturni fit una, ut sequitur.

Anno a reparáta salúte millésimo quingentésimo trigésimo primo, Deípara Virgo Joánni Dídaco, pio rudíque

neóphyto, Méxici in colle Tepejacénsi, uti antíqua et constánti traditióne mandátur, sese vidéndam præbuit, eúmque permánter álloquens, Epíscopum adíre, ipsíque ædem ínibi sibi sacram excitándam nuntiáre jussit. Rei veritátem solérter exploratúrus, responsiónem dístulit Joánnes de Zumárraga, loci Antístes : ac neóphyto, beatíssimæ Vírginis aspéctu imperióque rursus permóto, legationémque lácrimis et précibus iteránti, præcépit, ut signum, quo magnæ Dei matris ostenderétur volúntas, eníxe péteret.

Dum viam a colle Tepejacénsi remotiórem néophytus arríperet, et Méxicum, ne pátruo letháli morbo corrépto extréma deéssent sacraménta, Sacerdótem advocatúrus contênderet, eídem benigníssima Virgo tértio occúrrit; mæréntem de pátrui sanitáte certiórem facit; rosásque pulchérrimas contra loci hiemísque asperitátem, recens obórtas, in ejus pállio compósitas, Epíscopo deférri injúngit. Mandátis obséquitur Dídacus, cujus in pállio, rosis coram Epíscopo effúsis, Maríæ sanctæ imágo qua prorsus spécie in colle prope urbem sese exhibúerat, mirum in modum depícta conspícitur. Tanto percúlsi prodígio religiósam cives effígiem in episcopáli sacéllo rite asservándam curant : quæ, paulo post, solémni pompa ad ædem in colle Tepejacénsi exstrúctam transláta insígni géntium cunctárum veneratióne præfúlget.

Magnífico deínceps excépta templo, cui Canonicórum Collégium Románi Pontífices ad divíni cultus splendórem addidérunt, Mexicánæ gentis pietátem in Deíparam summópere adáuxit; ingentíque abhinc quátuor sǽculis cólitur populórum ac miraculórum frequéntia. Quaprópter eam uti præsentíssimum advérsus públicas privatásque calamitátes præsídium Archiepíscopus Mexicánus ceteríque illárum regiónum Antístites, ómnium órdinum consensióne, in primáriam adlegérunt univérsæ Mexicánæ Natiónis Patrónam, ritéque eléctam Benedíctus

décimus quartus auctoritáte apostólica declarávit, atque Offícium et Missam sub título beátæ Vírginis Guadalupénsis recitári concéssit. Leo vero décimus tértius iterátis Mexicanórum Præsulum petitiónibus benígne ánnuens, novíssimum hoc Offícium, ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, recitári indúlsit, Virginísque effígiem prodígiis atque cultu célebrem áurea coróna, suo nómine et jussu, solémni ritu condecorári decrévit. Quam quidem quarto Idus Octóbris anno millésimo octingentésimo nonagésimo quinto coram Epíscopis fere ómnibus Reipúblicæ et áliis bene multis ex réliquis Américæ pártibus illuc confluéntibus, máxima incolárum advenarúmque frequéntia et gratulatióne, Archiepíscopus Mexicánus pretiosíssimam impósuit. Tandem Pius décimus sacrórum Antístitum Américæ Latínæ votis satisfactúrus, eámdem beatíssimam Vírginem Guadalupénsem totíus Américæ Latínæ Patrónam præcípuam declarávit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Quæ est ista * quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem?

Psalmi de dominica 1º loco.

2 Vidérunt eam * fíliæ Sion vernántem in flóribus rosárum, et beatíssimam prædicavérunt.

3 Flores apparuérunt * in terra nostra : te laudámus, sancta Dei Génitrix.

4 Cantáte ei * cánticum novum : annuntiáte inter gentes glóriam ejus.

5 Tu glória * Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli tui.

Capit. Prov. 8, 34-35

Beátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

Hymnus
Ex S. Anselmo
Ep. Cantuarien.

Alma Parens, omni carens
Corruptélæ mácula,
Quam elégit qui confrégit
Diræ mortis víncula.

Clemens! præsta, ut qui festa
Tua gaudent cólere,
Gratuléntur et læténtur
Veræ lucis lúmine.

Primum quidem nobis fidem
Tuis auge précibus,
Spe labéntes firma mentes,
Caritáte róbora.

Mater Dei! nostræ spei
Causa et exórdium,
Aufer bella et flagélla,
Famem, pestem, gládium.

Egenórum et vinctórum
Consoláre gémitum :
Fave votis, dans ægrótis
Optátum remédium.

Pax et quies nostros dies
Fáciant lætíssimos :
Inimícos fac amícos,
Seda malos hómines.

O María, Mater pia,
Tuum da subsídium,
Ut regnémus et laudémus
Tuum semper Fílium.

Pater Deus, Fili Deus,
Deus alme Spíritus,
Per ætérna nos gubérna
Sǽcula, Deus Trínitas.
Amen.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo.

Ad Bened. Ant. Quasi arcus * refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis.

Oratio

Deus, qui sub beatíssimæ Vírginis Maríæ singulári patrocínio constitútos perpétuis benefíciis nos cumulári voluísti: præsta supplícibus tuis; ut cujus hódie commemoratióne lætámur in terris, ejus conspéctu perfruámur in cælis. Per Dóminum.

Et fit commemoratio feriæ.

Ad Horas ant. et pss. de feria.

Ad Primam in ℟. br. ℣. Qui natus est de María Vírgine.

AD TERTIAM

Capit. Prov. 8, 34-35

Beátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

℟. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine tua. Glória Patri. Spécie tua.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM

Capit. Eccli. 24, 15-16

Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit eam. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus vultu suo. Glória Patri. Adjuvábit eam.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM

Capit. Eccli. 24, 19-20

In platéis sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit eam. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégit eam. Glória Patri. Elégit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

AD VESPERAS

Ant. et capit. de Laudibus 9

℣. Non fecit táliter omni natióni. ℟. Et judícia sua non manifestávit eis.

Ad Magnif. Ant. Leva in circúitu * óculos tuos et vide : omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi : fílii tui de longe vénient, et fíliæ tuæ de látere surgent.

Oratio Deus, qui ,ut supra 10

Et fit com. feriæ.

In Cathedr. S. Joannis in Quebec.

DIE 27 DECEMBRIS

SANCTI JOANNIS

APOSTOLI
ET EVANGELISTÆ

I classis

Officium ut in Brev. eodem die.

Ubi conceditur

DIE 3 JANUARII

Stæ FRANCISCÆ XAVERIÆ CABRINI

VIRGINIS

III classis

AD MATUTINUM

Invit. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte.

Hymnus

Ex Corde Jesu cóncipit
Francísca flammas, ímpete
Queis fida Christi ad éxtimas
Festínat oras núntia.

Quacúmque tránsit, íllico
Odóra spirant lília,
Horrens et ante vépribus
Tellus virétis énitet.

Eam migrántes Itali,
Terras per omnes díditi
Sensére matrem, sédulam
Leváre curas éxulum.

Non ira bacchans æquorum
Nivósa nec cacúmina,
Plagæ vel æstu tórridæ
Fortem moránture féminam.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito
In sæculórum sæcula.
Amen.

Ad Nocturnum

Bened. Ad societátem.

¶Lectio contracta; secus e tribus II Nocturni fit una, ut sequitur.

Lectio iii

Francísca Cabrini quæ Indiárum Apóstolum imitári cúpiens, Xavérii quoque nomen sibi ipsa póstea índidit, in óppido Sancti Angeli, Diœcésis Laudénsis, anno millésimo octingentésimo quinquagésimo piis honestísque paréntibus orta est. Divína grátia prævénta, a prima ætáte máximam cum Deo conjunctiónem austerámque vitæ ratiónem cóluit. Septénnis adhuc, cum ante preces vespertínas commentariórum de re cathólica inter Sinénses lectiónem sæpius audíret, exársit desidério illuc convolándi, ut tot animábus opem ferret. Vix trédecim annos nata perpétuæ virginitátis voto sese obstrínxit, ánimo assídue volvens quo pacto Sacratíssimo Cordi Jesu amórem repénderet ejúsque angóres leváret. Studiórum currículo felíciter absolúto, de religiósa vita amplecténda cogitávit; sed ejus postuláta, propter exíguam valetúdinem, semel atque íterum in vanum cessérunt. Público docéndi múnere áliquot annos summa cum laude functa est; deínde orphanotróphio moderándo ab Epíscopo Laudénsi præpósita, tanta prudéntia ac navitáte se gessit, in puéllis præsértim ad christiánam vitam instituéndis, ut eam idem Epíscopus ad novam religiósam congregatiónem condéndam, quæ potíssimum Missiónibus vacáret, adhortarétur.

Forti ánimo opus aggréssa, Cotónei apud sacéllum Beátæ Vírginis Gratiárum anno millésimo octingentésimo octogésimo Institúti Missionálium Vírginum a Sacro Corde Jesu fundaménta jecit, cujus régulas et constitutiónes ab Apostólica Sede adprobándas curávit. Voti compos facta, in primis omni stúdio incúbuit ut nova Sorórum Família eo in Deum et próximum caritátis imbuerétur spíritu, quem e Sacratíssimi Cordis Jesu fonte ipsa prior áffatim háuserat; tantáque prudéntia ac solértia illam rexit atque promóvit, ut septem supra sexagínta domos per Európam atque Américam ipsa constitúerit. Porro dum Missiónes ad díssitas gentes cógitat, anceps adhuc quo Dei volúntas eam ádvocet, Leóne Papa décimo tértio auctóre, ad occíduas orbis oras ánimum vertit. Hic ingens Italórum multitúdo deversabátur, qui inópia pressi in utrámque Américam óperam locatúri commigrábant. Ad horum ærumnósam conditiónem levándam, Christi caritáte impúlsa, álacris atque animósa se dédidit. Etenim quater et vícies, nullo labóre victa, nullo extérrita perículo, Océanum trajécit; totam Américam longe latéque peragrávit; nosocomía, scholas, gynecǽa, asýla ubíque instítuit, tot tántaque ad vitæ cultum et præcípue ad spirituále operariórum bonum provehéndum adjuménta comparávit, ut populárium ánimos sibi plane devincíret, et passim Italórum mater appellarétur.

Divína Providéntia únice freta, ad prǽstitum sibi finem, moras omnes

impoténter ferens, alácriter contendébat, illud Pauli sæpe usúrpans : Omnia possum in eo qui me confórtat. Pio in Deum affectu perpétuo delibúta, in máximis étiam occupatiónibus mentem numquam a supérnis remittébat, immo ex rebus ómnibus quæ inter vias ipsi occurrébant, véluti per gradus, sponte ad Deum conscendébat. Románi Pontíficis atque Apostólicæ Sedis semper observantíssima, Ecclésiæ statúta tutíssimas normas semper hábuit. Beatíssimam Vírginem Maríam, quam fíliæ instar prosequebátur amóre, veram Institúti sui Matrem et Conditrícem salutándam esse dictitábat. Demum Chicágiæ in América integérrimæ atque laboriosíssimæ vitæ cursum confécit die vigésima secúnda mensis Decémbris, anno millésimo nongentésimo décimo séptimo, ejúsque corpus póstea Neo Eborácum translátum est. Pius Papa undécimus ei Beatórum honóres solémniter decrévit. Pius vero duodécimus, novis accedéntibus miráculis eámdem in sanctárum vírginum catálogum solémniter adscrípsit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Capit. 2 Cor. 10, 17-18

FRATRES : Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat.

Hymnus

DIVÍNA Jesu cáritas,
Tu magna sola pérficis,
Quæ vertis ipsas vírgines
In férvidos apóstolos.

Per te refúlsit ínclyta
Francísca, spreto sǽculo,
Sexúque major glóriam
Dei per orbem prótulit.

Beáta Mater, réspice
Cælo benígna fílias,
Tuúmque fac virtútibus
Opus viréscat, flóreat :

Cor perge Jesu fléctere,
Stirpes ut omnes cóngreget
Et prona nobis ímpetra
Flammas amóris ǽmulas.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito
In sæculórum sǽcula.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, qui sanctam Vírginem Francíscam Xavériam, sacratíssimi Cordis tui igne succénsam, per amplíssimas mundi plagas ad ánimas tibi lucrándas dedúxisti et per eam novam in Ecclésia tua Vírginum famíliam suscitásti; quǽsumus; ut ipsa intercedénte, ejúsdem Cordis tui virtútibus induámur atque ad ætérnum beatitúdinis portum perveníre mereámur : Qui vivis.

AD VESPERAS

Capit. Fratres, ut supra.

Hymnus

BEÁTA cæli régia,
Lætis resúltet cántibus
Plausúque terra súbdita
Polis utrísque cónsonet.

Præcíncta nimbo glóriæ
Francísca, inhǽrens ímpigra
Xavériis vestígiis
Triúmphat inter cǽlites.

Ætáte jam tenéllula
Amóre Jesum déperit
Ipsúmque volvit péctore
Inférre cunctis géntibus.

Vox ecce dia própulit
Nido colúmbam pátrio;
Fines ad orbis últimos
Frequénter ipsa cónvolat.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito
In sæculórum sǽcula.
Amen.

℣. Diffúsa est, ut supra.

Ad Magnif. ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio Dómine, ut supra.

Ubi conceditur

DIE 12 JANUARII

BEATÆ MARGARITÆ BOURGEOYS

VIRGINIS

III classis

In Instituto II classis

¶ Si hoc festum celebratun gradu III classis, lectio contracta; secus, e tribus II Nocturni fit una. (Bened. Ad societátem.)

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

MARGARÍTA Bourgeoys, Trecis in Gállia honéstis paréntibus nata, a prima

ætáte futúri spéciem porténdere visa est. Vix enim decénnis socias congregáre sólita fuit, ut una cum eis oratióni et labóri vacáret. Devotióne erga Dei Matrem flagrans, eam ut vitæ exémplar sibi elégit et Carméli órdinem íngredi státuit. Sed Deo áliter disponénte, cum adhuc in sǽculo dégeret, vota perpétua castitátis et paupertátis emísit; póstea, requirénte gubernatóre urbis Villamaríæ, nuper in regióne Canadénsi cónditæ, munus suscépit instituéndi puéllas colóniæ quæ Nova Gállia tunc vocabátur. Fama Iroquénsium feritátis pertérrita, sed a beatíssima Vírgine cǽlitus confortáta, marínum iter aggréssa est; quo duránte, oratióni frequénter instans, invícta caritáte ægrótis curam impéndit. Demum, post longam et árduam navigatiónem, ad Quebécum felíciter áppulit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

In urbe Villamaría primam scholam in quodam stábulo instítuit. Póstea, ad clivum Montis Regii, puéllas cum Gallórum colonórum, tum étiam Indórum instituéndas suscépit. Domum a Providéntia fundávit, in qua adolescéntulæ ad sanctíssimæ Eucharístiæ sacraméntum prima vice suscipiéndum ínstrui, artem domésticam edocéri, mulíeres vero in sǽculo vivéntes exercítiis spirituálibus vacáre possent. Piam Societátem seu Congregatiónem extérnam constítuit pro alúmnis quæ, absolúto studiórum currículo, ad própria se recepíssent. Vírgines núbiles, regis auctoritáte a Gállia missas, in domum suam recépit, enutrívit, ad honéstas núptias contrahéndas instrúxit: vere digna quæ nascéntis colóniæ mater ab ómnibus agnoscerétur. Religiósum ínsuper institútum votórum simplícium, Congregatiónem scílicet a Nostra Dómina, cóndidit, in quo Soróres, votis religiónis simplícibus adstríctæ, parœciáli ecclésiæ addíctæ manérent et christiánæ puellárum institutióni incúmberent. Beátam Maríam semper Vírginem a Visitatióne ut suprémam Congregatiónis suæ Moderatrícem habéri vóluit. Ecclésiam vero sub título Beátæ Maríæ Auxílii Christianórum ædificándam curávit, ipsa suis mánibus operários ádjuvans: quæ frequéntibus háctenus fidélium peregrinatiónibus celebrátur.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Crevit autem paulátim parva Congregátio Villamaríæ, Quebéci et in vicína Aurelianénsi ínsula. Jubénte loci Antístite, Margaríta generális xenodochíi Quebecénsis fundaménta jecit. Hæc inter, pœniténtiæ opéribus instábat, vulgári et parco semper conténta cibo, quem étiam insúlsum réddere studébat, super nudam humum dórmiens et caliéndrum gestans intrórsus spinis obarmátum. Paupertátis amátrix, labóri mánuum incumbébat, quo sibi suísque sufficeret ac páuperum necessitátibus subveníret. Illi orátio assídua, quam noctu ad plures horas ducébat. Animárum zelo flagrans, in eárum auxílium, sub auctoritáte epíscopi et presbyterórum Sancti Sulpícii, qui Villamaríæ parœ́ciam regébant, Soróres míttere sólita erat. Ingravescéntibus annis, Institúti régimen depósuit. Demum, intérnas desolatiónes expérta, consolatiónibus destitúta, sed semper spíritu fervens et divínæ inhǽrens voluntáti, Villamaríæ placidíssime obdormívit in Dómino, prope octogenária, die duodécima Januárii, anni millésimi septingentésimi. Eam Pius Papa duodécimus, Póntifex máximus, miráculis illústrem, anno millésimo nongentésimo quinquagésimo Beatórum fastis adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ

ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Nocturno homilia in Evang. Símile erit, de Communi Virg. 1° loco.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæréntí bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

DEUS, qui ad christiánam juventútis institutiónem beátam Margarítam elegísti, ac nova per eam família Ecclésiam tuam fecundásti : præsta, quǽsumus; nos ejus exémplo et intercessióne, ita fácere et docére, ut prǽmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

AD VESPERAS

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio Deus, ut supra.

In Cathedr. S. Pauli Albertin.

DIE 25 JANUARII

IN CONVERSIONE S. PAULI

APOSTOLI

I classis

Officium ut in Brev., præter sequentia.

AD I VESPERAS

Ant. 1 Ego plantávi, * Apóllo rigávit, Deus autem increméntum dedit (allelúja).

2 Libénter gloriábor * in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi.

3 Grátia Dei * in me vácua non fuit, sed grátia ejus semper in me manet.

4 Damásci, præpósitus * gentis Arétæ regis vóluit me comprehéndere : a frátribus per murum demíssus sum in sporta, et sic evási manus ejus in nómine Dómini.

5 Ter virgis cæsus sum, * semel lapidátus sum, ter naufrágium pértuli pro Christi nómine.

Capit. Act. 9, 1-2

SAULUS, adhuc spirans minárum et cædis in discípulos Dómini, accéssit ad príncipem sacerdótum, et pétiit ab eo epístolas in Damáscum ad synagógas; ut, si quos invenísset hujus viæ viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jerúsalem.

Hymnus

EGRÉGIE Doctor, Paule, mores ínstrue,
Et nostra tecum péctora in cælum trahe :
Veláta dum merídiem cernat fides,
Et solis instar sola regnet cáritas.

Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas atque jubilátio,
In unitáte, quæ gubérnat ómnia,
Per univérsa æternitátis sǽcula.
Amen.

℣. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole.
℟. Prædicátor veritátis in univérso mundo.

Ad Magnif. Ant. Vade, Ananía, * et quære Saulum : ecce enim orat : quia vas electiónis est mihi, ut portet nomen meum coram géntibus, et régibus, et fíliis Israël.

Oratio

DEUS, qui univérsum mundum beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti : da nobis, quǽsumus; ut, qui ejus hódie Conversiónem cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur.

Et fit com. S. Petri Ap. per orationem sub unica conclusione :

Oratio

DEUS, qui beáto Petro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni cæléstis, ligándi atque solvéndi pontifícium tradidísti : concéde; ut intercessiónis ejus auxílio, a peccatórum nostrórum néxibus liberémur : Qui vivis.

AD MATUTINUM

Invit. et hymnus ut in Brev.

In I Nocturno

Ant. 1, 2 et 3, cum psalmis, ut in Brev.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Pater. Absol. Exáudi.
Bened. Benedictióne.

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 9, 1-5

SAULUS, adhuc spirans minárum et cædis in discípulos Dómini, accéssit ad príncipem sacerdótum, et pétiit ab eo epístolas in Damáscum ad synagógas; ut, si quos invenísset hujus viæ viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jerúsalem. Et cum iter fáceret, cóntigit ut appropinquáret Damásco; et súbito circumfúlsit eum lux de cælo. Et cadens in terram audívit vocem dicéntem sibi : Saule, Saule, quid me perséqueris. Qui dixit : Quis es, Dómine? Et ille : Ego sum Jesus, quem tu perséqueris. Durum est tibi contra stímulum calcitráre.

℟. Qui operátus est Petro in apostolátum, operátus est et mihi inter Gentes : * Et cognovérunt grátiam Dei, quæ data est mihi. ℣. Grátia Dei in me vácua non fuit, sed grátia ejus semper in me manet. Et.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 9, 6-9

ET TREMENS ac stupens dixit : Dómine, quid me vis fácere? Et Dóminus ad eum : Surge, et ingrédere civitátem, et ibi dicétur tibi quid te opórteat fácere. Viri autem illi, qui comitabántur cum eo, stabant stupefácti, audiéntes quidem vocem, néminem autem vidéntes. Surréxit autem Saulus de terra, apertísque óculis nihil vidébat. Ad manus autem illum trahéntes, introduxérunt Damáscum. Et erat ibi tribus diébus non videns, et non manducávit neque bibit.

℟. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi : * Ideóque repósita est mihi coróna justítiæ. ℣. Scio cui crédidi, et certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem. Ideóque.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 9, 10-16

ERAT autem quidam discípulus Damásci, nómine Ananías; et dixit ad illum in visu Dóminus : Ananía. At ille ait : Ecce ego, Dómine. Et Dóminus ad eum : Surge, et vade in vicum, qui vocátur Rectus; et quære in domo Judæ Saulum nómine Tarsénsem : ecce enim orat. (Et vidit virum Ananíam nómine, introëúntem et imponéntem sibi manus ut visum recípiat.) Respóndit autem Ananías : Dómine, audívi a multis de viro hoc, quanta mala fécerit sanctis tuis in Jerúsalem : et hic habet potestátem a princípibus sacerdótum alligándi omnes, qui ínvocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dóminus : Vade, quóniam vas electiónis est mihi iste, ut portet nomen meum coram géntibus, et régibus, et fíliis Israël. Ego enim osténdam illi quanta opórteat eum pro nómine meo pati.

℟. Repósita est mihi coróna justítiæ, * Quam reddet mihi Dóminus in illum diem justus judex. ℣. Scio cui crédidi, et certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem. Quam reddet mihi. Glória Patri. Quam reddet mihi.

In II Nocturno

Ant. 4, 5 et 6, cum psalmis, ut in Brev.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Pater. Absol. Ipsíus pietas.
Bened. Deus Pater.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 14 de Sanctis

Lectio iv

HÓDIE de Actibus Apostolórum léctio hæc pronuntiáta est, ubi Paulus Apóstolus, ex persecutóre Christianórum, annuntiátor factus est Christi. Prostrávit enim Christus persecutórem, ut fáceret Ecclésiæ doctórem : percútiens eum, et sanans; occídens, et vivíficans : occísus agnus a lupis, et fáciens agnos de lupis. Ita enim in præclára prophetía cum Jacob Patriárcha benedíceret fíliis suis (præséntes tangens, futúra prospíciens) prædíctum erat quod in Paulo cóntigit. Erat autem Paulus, sicut ipse testátur, de tribu Bénjamin. Cum autem Jacob, benedícens

fílios suos, venísset ad benedicéndum Bénjamin, ait de illo : Bénjamin lupus rapax.

℟. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis in univérso mundo: * Per quem omnes gentes cognovérunt grátiam Dei. ℣. Intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit. Per quem.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

QUID ergo? lupus rapax semper? Absit; sed qui mane rapit prædam, ad vésperam dívidit escas. Hoc in Apóstolo Paulo implétum est, quia et de illo dictum erat. Jam, si placet, audiámus illum mane rapiéntem, ad vésperam escas dividéntem. Mane et véspere pósita sunt pro eo, ac si dicerétur, prius et póstea. Sic ergo accipiámus : Prius rápiet, póstea dívidet escas. Atténdite raptórem : Saulus, inquit, accéptis epístolis a princípibus sacerdótum, ibat, ut ubicúmque inveníret Christiános, ad sacerdótes attráheret et addúceret, útique puniéndos.

℟. Grátia Dei sum id quod sum; * Et grátia ejus in me vácua non fuit, sed semper in me manet. ℣. Qui operátus est Petro in apostolátum, operátus est et mihi inter gentes. Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

IBAT spirans et anhélans cædes : hoc est, mane rápiens. Nam et quando lapidátus est Stéphanus primus Martyr pro nómine Christi, evidéntius áderat et Saulus; et sic áderat lapidántibus, ut non ei sufficeret, si tantum suis mánibus lapidáret. Ut enim esset in ómnium lapidántium mánibus, ipse ómnium vestiménta servábat; magis sǽviens omnes adjuvándo, quam suis mánibus lapidándo. Audívimus, mane rápiet : videámus ad vésperam quáliter dívidat escas. Voce Christi prostrátus de cælo, et accípiens désuper interdíctum jam sæviéndi, cécidit in fáciem suam, prius prosternéndus, póstea erigéndus; prius percutiéndus, póstea sanándus.

℟. Saulus, qui et Paulus, magnus prædicátor, * A Deo confortátus convalescébat, et confundébat Judǽos. ℣. Osténdens quia hic est Christus, Fílius Dei. A Deo. Glória Patri. A Deo.

In III Nocturno

Ant. 7, 8, 9 cum psalmis, ut in Brev.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 19, 27-29

IN illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

Homilia in Natali S. Benedicti Biscopii

PERFÉCTUS ille est, qui ábiens vendit ómnia quæ habet, et dat paupéribus, ac véniens séquitur Christum; habébit enim thesáurum non deficiéntem in cælis. Unde bene, interrogánte Petro, dixit tálibus Jesus : Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. In hac quippe vita pro ejus nómine laborántes, in ália prǽmium speráre dócuit, id est, in regeneratióne; cum vidélicet in vitam immortálem fuérimus resurgéndo regeneráti, qui in vitam cadúcam mortáliter erámus géniti.

℟. Sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis et doctor géntium, * Intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit, ut digni efficiámur grátia Dei. ℣. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis. Intercéde.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

ET JUSTA prorsus retribútio, ut, qui hic pro Christo humánæ glóriam celsitúdinis neglexérunt, illic a Christo júdices glorificáti singuláriter cum eo assídeant; qui a sequéndis ejus vestígiis nulla ratióne póterant avélli.

Nemo autem putet duódecim tantum Apóstolos, quia pro Juda prævaricánte Matthías eléctus est, tunc esse judicatúros; sicut nec duódecim solæ sunt tribus Israël judicándæ : alióquin tribus Levi, quæ tertiadécima est, injudicáta recédet.

℟. Damásci, præpósitus gentis Arétæ regis vóluit me comprehéndere : * Et a frátribus per murum demíssus sum in sporta, * Et sic evási manus ejus in nómine Dómini. ℣. Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi scit quia non méntior. Et a frátribus. Glória Patri. Et sic.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Et Paulus, qui tertiusdécimus est Apóstolus, judicándi sorte privábitur? cum ipse dicat : Nescítis quóniam ángelos judicábimus, quanto magis sæculária? Sciéndum namque est, omnes, qui ad exémplum Apostolórum sua reliquérunt ómnia, et secúti sunt Christum, júdices cum eo ventúros, sicut étiam omne mortálium genus esse judicándum. Quia enim duodenário sæpe número solet in Scriptúris univérsitas designári, per duódecim sedes Apostolórum, ómnium numerósitas judicántium, et, per duódecim tribus Israël, univérsitas eórum qui judicándi sunt, osténditur.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes et alias Horas ut in Brev.

Ad Horas minores ant. de Laudibus, pss. de dominica, ad Primam tamen ut in festis.

Complet. de dominica.

In Provincia Quebecen.

DIE 18 FEBRUARII

S. MARIÆ BERNARDÆ SOUBIROUS
VIRGINIS

III classis

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

¶ Lectio contracta; secus e tribus II Nocturni fit una, ut sequitur.

Bernárda Soubirous, vulgo Bernadette, in óppido Lourdes, Tarbiénsis diœcésis, honéstis christianísque paréntibus ortum duxit. A téneris annis pio stúdio catechésim et preces discébat eximiásque simplicitátis et innocéntiæ dotes exterióri spécie pandébat. Ineúnte anno millésimo octingentésimo quinquagésimo octávo, super specum Massabielle puéllulæ beáta Virgo María plúries se conspiciéndam óbtulit. Rosárium illam recitáre, pro peccatóribus oráre et pœniténtiam ágere hortáta est; in ipso loco sacéllum éxstrui, solémnes fíeri supplicatiónes imperávit, fontémque sub rupe laténtem per Bernárdæ manum in plurimórum sanatiónem prodúxit; illi secréta tria commísit, quæ usque ad mortem fidéliter servávit. Demum ejus nomen percontánti, cujus tam frequénti visitatióne fruebátur, Virgo respóndit : Immaculáta Concéptio ego sum. Hinc ortus in specu Massabielle ille Deíparæ cultus Immaculátæ, eóque orbis fidéles et ecclesiárum antístites certátim convéniunt.

Nihil tot tantísque prodígiis ingénua Bernárdæ mutáta est simplícitas : famam, laudes et plausus hóminum sédulo devitávit, paupertáti patérnæ obláta solátia recusávit, ac demum humános mélius declinatúra conspéctus, Soróribus de Caritáte et Instructióne christiána ut discípulam primum apud Lourdes, Nivérni mox ut sodálem se óbtulit; ubi religiónis vota sub nómine Sorōris Maríæ Bernárdæ nuncupávit. Sanctimoniális exémplar fidélis ab incœpto usque ad extrémum diem præ se tulit. Régulam, étiam ægrótans, numquam sibi relaxári postulásse tráditur. Siléntii custos, latére nesciríque sollícita, ægre cum éxteris et ádvenis ex obediéntia colloquebátur, quam primum ab eis recessúra. Oratióni frequénter incúmbens, sanctíssimam Eucharístiam et domínicæ Passiónis mystéria assídue meditabátur; Immaculátam Vírginem afféctu filiáli prosecúta, ejus mandáti memor, in delíciis habébat oráre pro peccatóribus, nonnúllis mirabíliter ejus intercessióne ad fidem et vitam christiánam convérsis. Pro quibus et passiónes suas libénter offerébat.

Beáta enim Virgo cum illi dixísset : Felicitátem tibi non in terris promítto

sed in cælis; diutúrnas, quámdiu vixit, infirmitátes est perpéssa. Quibus patientíssime, lætánter immo tolerátis, ad diem dedúcta suprémum, Nivérni inter Soróres, salutatiónis angélicæ última verba ingéminans, piam ánimam efflávit die décima sexta Aprílis, anno millésimo octingentésimo septuagésimo nono, ætátis trigésimo quinto. Ejus corpus in Sorórum minóre sacéllo sepúltum, semel et íterum absque corruptióne repértum, magna fidélium veneratióne cólitur; miraculísque a Deo ejus intervéntu impetrátis, ipsíus sepúlcrum factum est gloriósum. Quibus rite probátis, Pius undécimus Póntifex máximus Maríam Bernárdam in Beatárum númerum rétulit anno universális Jubilǽi millésimo nongentésimo vigésimo quinto. Eámque novis fulgéntem signis, idem summus Póntifex, ipso die festo Immaculátæ Conceptiónis anni præ céteris sacri, labénte undevigésimo peráctæ redemptiónis sǽculo, et septuagésimo quinto anniversário Apparitiónum in Lourdes óppido, Sanctárum fastis adscrípsit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Osténdit mihi María * thesáuros incomparábiles, quos mihi se datúram in cælis repromísit.

Oratio

Humílium, Deus, protéctor et amátor, qui fámulam tuam Maríam Bernárdam immaculátæ Vírginis Maríæ apparitióne et allóquio recreásti : præsta, quǽsumus; ut, per símplices fídei sémitas, ad tuam in cælis visiónem perveníre mereámur. Per Dóminum.

Et fit com. S. Simeonis Ep. et Mart.

AD VESPERAS

℣. Diffúsa est, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Grátias tibi ago * Virgo immaculáta Dei Mater, quia per ancíllam tuam, pópulo tuo verba salútis et pacis pígnora attulísti.

Oratio ut supra.

Ubi conceditur

DIE 8 MAJI

BEATÆ MARIÆ VIRG.
OMNIUM GRATIARUM MEDIATRICIS

III classis

AD MATUTINUM

Invit. Christum Redemptórem, qui bona ómnia nos habére vóluit per Maríam,
* Veníte, adorémus, allelúja.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

Christus, humáni géneris misértus,
Morte nos ictos mérita, supérnam
Rursus ad vitam génuit, suóque
Sánguine tersit.

O pium flumen, scelus omne purgans!
O inexháustum pélagus bonórum,
Unde septéno fluit usque fonte
Vita salúsque!

Hos tamen sacros látices redémptis
Quis ministrábit? Datur hoc Maríæ
Munus, ut divæ moderétur undæ,
Arbitra, cursum.

Cuncta, quæ nobis méruit Redémptor,
Dona partítur génitrix María,
Cujus ad votum sua fundit ultro
Múnera Natus.

Te per ætérnos venerémur annos,
Trínitas, summo celebránda plausu :
Te fide mentes, resonóque linguæ
Cármine laudent. Amen.

In I Nocturno

Ant. Fons hortórum, * púteus aquárum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano, allelúja.

Pss. de Communi festorum B. M. V.

℣. Sub tuum præsídium omnes confúgimus, allelúja. ℟. Sancta Dei Génitrix, allelúja.

Pater. Absol. Exáudi, vel Ipsíus píetas, vel A víncu-lis.

Bened. Ille nos benedícat.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 24, 5-11

Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram : ego feci in cælis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cæli circuívi sola, et profúndum abýssi penetrávi, in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti : et in omni pópulo et in omni gente primátum hábui : et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi : et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor.

℟. In Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea : * Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea, allelúja. ℣. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Et.

Bened. Cujus festum cólimus, ipsa.

Lectio ii

Cap. 24, 22-31 et 41-46

Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impleémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me adhuc esúrient : et qui bibunt me adhuc sítient. Qui audit me non confundétur : et qui operántur in me non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt. Ego quasi trames aquæ imménsæ de flúvio, ego quasi flúvii dióryx, et sicut aquædúctus exívi de paradíso. Dixi : Rigábo hortum meum plantatiónum, et inebriábo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abúndans, et flúvius meus appropinquávit ad mare : quóniam doctrínam quasi antelucánum illúmino ómnibus, et enarrábo illam usque ad longínquum. Penetrábo omnes inferióres partes terræ, et inspíciam omnes dormiéntes et illuminábo omnes sperántes in Dómino. Adhuc doctrínam quasi prophetíam effúndam, et relínquam illam quæréntibus sapiéntiam, et non désinam in progénies illórum usque in ævum sanctum.

℟. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis : * Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impleémini, allelúja. ℣. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Transíte. Glória. Transíte.

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Orátio sancti Ephræm Syri Diáconi ad Deíparam

Dómina mea, sanctíssima Dei Génitrix et grátia plena, pélagus inexháustum divinárum secretarúmque largitiónum ac múnerum, bonórum ómnium erogátio, ómnium post Trinitátem Dómina, post Paráclitum álius consolátor, et post Mediatórem Mediátrix totíus mundi, vide meam fidem meúmque desidérium divínitus datum. Ne despícias indígnum, neque meárum actiónum fœditátes tuam imménsam misericórdiam interrúmpant, Dei Génitrix, meum desiderabilíssimum nomen; nihil enim est fírmius trophæum quam tuum auxílium. Tu enim abstulísti omnes lácrimas a fácie terræ; tu creatúram replésti omni génere benefícii, cæléstibus lætítiam attulísti, terréstria salvásti. Per te resurrectiónis nostræ tésseram certíssimam tenémus : per te cæléste regnum nos consecutúros esse sperámus : per te omnis glória, honor et sánctitas ab ipso primo Adam et usque ad consummatiónem sǽculi Apóstolis, Prophétis, justis et humílibus corde, sola immaculáta, deriváta est, derivátur et derivábitur; atque in te gaudet,

grátia plena, omnis creatúra.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Benedictiónem * ómnium géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus, allelúja.

Pss. de dom. 1º loco.

2 In ætérnum * misericórdia ejus, et usque in generatiónem et generatiónem, allelúja.

3 Benedícam te * in vita mea, et in nómine tuo levábo manus meas, allelúja.

4 Non pepercísti * ánimæ tuæ propter angústias et tribulatiónem géneris tui, allelúja.

5 Recordáre, * Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, allelúja.

Capit. Is. 55, 1

OMNES sitiéntes, veníte ad aquas : et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite : veníte, émite absque argénto, et absque ulla commutatióne vinum et lac.

Hymnus

MARÍA, quæ mortálium
Preces amánter éxcipis,
Rogámus ecce súpplices,
Nobis adésto pérpetim.

Adésto, si nos críminum
Caténa stringit hórrida;
Cito resólve cómpedes,
Quæ corda culpis ílligant.

Succúrre, si nos sǽculi
Fallax imágo péllicit,
Ne mens salútis trámitem,
Oblíta cæli, déserat.

Succúrre, si vel córpori
Advérsa sors impéndeat,
Fac sint quiéta témpora,
Ætérnitas dum lúceat.

Tuis et esto fíliis
Tutéla mortis témpore,
Ut, te juvánte, cónsequi
Perénne detur prǽmium.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima, allelúja. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúja.

Ad Bened. ant. Absque tuo império * non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra, allelúja.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, noster apud Patrem Mediátor, qui beatíssimam Vírginem Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te Mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius; ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre.

Ad Horas ant. et pss. de feria.

Ad Primam in ℟. br. ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM

Capit. Omnes sitiéntes, ut ad Laudes.

℟. br. Sub tuum præsídium omnes confúgimus, * Allelúja, allelúja. Sub. ℣. Sancta Dei Génitrix. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Sub.

℣. Nostras deprecatiónes ne despícias, allelúja. ℟. In necessitátibus nostris, allelúja.

AD SEXTAM

Capit. Is. 55, 2-3

AUDÍTE audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra. Inclináte aurem vestram, et veníte ad me : audíte, et vivet ánima vestra.

℟. br. Nostras deprecatiónes ne despícias, * Allelúja, allelúja. Nostras deprecatiónes. ℣. In necessitátibus nostris. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Nostras deprecatiónes.

℣. A perículis cunctis líbera nos semper, allelúja. ℟. Virgo gloriósa et benedícta, allelúja.

AD NONAM

Capit. Is. 55, 5

ECCE gentem, quam nesciébas, vocábis : et gentes, quæ te non cognovérunt, ad te current propter Dóminum Deum tuum, et Sanctum Israël, quia glorificávit te.

℟. br. A perículis cunctis líbera nos semper, * Allelúja, allelúja. A perículis. ℣. Virgo gloriósa et benedícta. Allelúja, allelúja. Glória Patri. A perículis.

℣. Eja ergo, Advocáta nostra, allelúja. ℟. Misericórdes óculos tuos ad nos convérte, allelúja.

AD VESPERAS

Ant. et capit. de Laud. 30; pss. de Communi festorum B. Mariæ Virg.

Hymnus Ave, maris stella.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima, allelúja. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Salus nostra * in manu tua est : réspice nos tantum, et læti serviémus Regi Dómino, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, noster apud Patrem Mediátor, qui beatíssimam Vírginem Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te Mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius; ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre.

Completorium de feria.

In Vic. Apost. Kenvatin.

DIE 8 MAJI

B. MARIÆ VIRGINIS A SACRO CORDE JESU

I classis

Omnia de Communi fest. B. Mariæ Virg., præter ea quæ hic habentur propria.

AD I VESPERAS

Ad Magnif. Ant. Tu refúgium nostrum, tu auxiliátrix nostra, Virgo María, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

℣. Facta es nobis Dómina in refúgium, allelúja. ℟. Et in adjutórium spei nostræ, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui beáta María Vírgine intercedénte in nos divítias Cordis tui dignáris effúndere : concéde, quǽsumus; ut quod in ejúsdem Vírginis veneratióne depóscimus, te propitiánte cónsequi mereámur : Qui vivis.

AD MATUTINUM

Invit. Jesum divítias Cordis sui in nos effundéntem per Maríam, * Veníte, adorémus, allelúja.

Ps. 94 Veníte.

Hymnus

Præclára custos Vírginum,
Intácta mater Núminis,
Cæléstis aulæ jánua,
Spes nostra, cæli gáudium.

Inter rubéta lílium,
Colúmba formosíssima,
Virga e radíce gérminans
Nostro medélam vúlneri,

Turris dracóni impérvia,
Amíca stella náufragis,
Tuére nos a fráudibus,
Tuáque luce dírige.

Erróris umbras díscute,
Syrtes dolósas ámove,
Fluctus tot inter, déviis
Tutam reclúde sémitam.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

In I Nocturno

Pater. Absol. Exáudi.
Bened. Benedictióne.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 24, 5-13

Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram, ego feci in cælis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cæli circuívi sola, et profúndum abýssi penetrávi; in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti, et in omni pópulo et in omni gente primátum hábui. Et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi; et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit et dixit mihi Creátor ómnium, et qui creávit me requiévit in tabernáculo meo. Et dixit mihi : In Jacob inhábita, et in Israël hereditáre et in eléctis meis mitte radíces.

℟. Signum magnum appáruit in cælo : Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus : * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim, allelúja. ℣. Induit eam Dóminus vestiméntis salútis, induménto justítiæ, et quasi sponsam ornávit eam monílibus suis. Et.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 24, 14-21

Ab inítio et ante sǽcula creáta sum, et usque ad futúrum sǽculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi, et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exáltata sum

in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion; quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi, quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Et quasi storax, et gálbanus, et úngula, et gutta, et quasi líbanus non incísus vaporávi habitatiónem meam. Et quasi bálsamum non mixtum odor meus.

℟. Magníficat ánima mea Dóminum : * Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus, allelúja. ℣. Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quia.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 24, 22-31

Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos; et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum; memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me adhuc esúrient, et qui bibunt me adhuc sítient. Qui audit me non confundétur, et qui operántur in me non peccábunt. Qui elúcidant me vitam ætérnam habébunt.

℟. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me : * Et a generatiónibus meis implémini, allelúja. ℣. Vivit Dóminus, quóniam adimplévit in me misericórdiam suam. Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Sermo sancti Petri Damiáni Epíscopi

Sermo I in Nativ. B. V. M., in fine

Lectio iv

Virgo Dei génitrix, cujus pulchritúdinem sol et luna mirántur, súbveni, Dómina, clamántibus ad te júgiter. Numquid quia ita deificáta, ídeo nostræ humanitátis oblíta es? Nequáquam, Dómina. Scis in quo discrímine nos relíqueris, ubi jáceant, quantum delínquant servi tui; non enim cónvenit tantæ misericórdiæ tantam miseriam oblivísci, quia, etsi súbtrahit glória, révocat natúra : non enim ita memoráris justítiæ Dei solíus, ut misericórdiam non hábeas, neque ita es impassíbilis, ut sis incompassíbilis. Natúram nostram habes, non áliam; et justum est ut de rore tantæ pietátis diffúsius infundámur. Fecit in te magna qui potens est, et data est tibi omnis potéstas in cælo et in terra. Nil tibi impossíbile, cui possíbile est desperátos in spem beatitúdinis relevare. Quómodo enim illa potéstas tuæ poténtiæ póterit obviáre, quæ de carne tua carnis suscépit oríginem? Accédis enim ante illud áureum humánæ reconciliatiónis altáre, non solum rogans, sed ímperans, Dómina, non ancílla.

℟. Meum est consílium et æquitas, * Mea est prudéntia, mea est fortitúdo, allelúja. ℣. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vígilant ad me, invénient me. Mea est.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Móveat te natúra, poténtia móneat; quia quanto poténtior, tanto misericórdior esse debébis. Potestáti enim cedit ad glóriam, injúrias ulcísci nolle, cum possit. Scio, Dómina, quia benigníssima es, et amas nos amóre invincíbili, quos in te et per te Fílius tuus et Deus tuus summa dilectióne diléxit. Quis scit quóties refrígeras iram Júdicis, cum justítiæ virtus a præséntia deitátis egréditur? In mánibus tuis sunt thesáuri miseratiónum Dómini, et sola elécta es, cui grátia tanta concéditur. Absit ut cesset manus tua, cum occasiónem quæras salvándi míseros et misericórdiam effundéndi! neque enim tua glória minúitur, sed augétur, cum pœniténtes ad véniam, justificáti ad glóriam assumúntur. Summa glória est post Deum te vidére, adhærére tibi, et in

tuæ protectiónis munímine demorári. Audi nos. Nam et Fílius nihil negans honórat te, qui est Deus benedíctus in sǽcula sæculórum. Amen.

℟. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei: in me grátia omnis viæ et veritátis: * In me omnis spes vitæ et virtútis, allelúja. ℣. Memória mea in generatiónes sæculórum. In me.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Ex historicis documentis

Beátæ Maríæ Vírginis apud divínum Cor poténtiam, dilectiónem et efficácem intercessiónem uno nómine recólere et honoráre cupiéntibus, Missionáriis Sacratíssimi Cordis Jesu opportúnum visum est, eámque táliter christifidélibus coléndam propónere, quo abundántius thesáuros miseratiónum Dómini per ipsam accíperent, ejúsque juvámen, præsértim desperántes, sentírent. Hisce pii Missionariórum Fundatóris votis benígne ánnuit Pius nonus, qui devotiónem hanc multóties commendávit et indulgéntiis auxit, ejusdémque Vírginis imáginem, multis præcláram benefíciis, per Antístitem Bituricénsem, suo nómine, coronári vóluit. Leo vero décimus tértius sancti Jacóbi Hispanórum collábens templum in Urbe, nóviter instaurátum, eídem Vírgini dicári permísit, festúmque ritu dúplici primæ classis cum octáva Missionáriis sacratíssimi Cordis celebrári indúlsit. Ex hac tam salutífera devotióne ubíque terrárum erga amantíssimum Cor Jesu majus increméntum proflúxit. Quare Pius décimus Archisodalitátem Beátæ Maríæ Vírginis a Sacro Corde Jesu, confirmátis Antecessórum privilégiis eníxe commendávit. Benedíctus décimus quintus, quinquagésimo memorátæ coronatiónis anno, templum Exoldunénse jamprídem Basílicæ minóris título insignítum, novis privilégiis replévit. Tandem Pius Papa undécimus ómnibus præfátis Missionáriis et eídem Archisodalitáti Offícium et Missam própriam concéssit.

℟. Beátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie. * Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino, allelúja. ℣. Si quis est párvulus, véniat ad me. Qui. Glória Patri. Qui.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 2, 1-11

In illo témpore: Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ, et erat mater Jesu ibi. Et réliqua.

Homilía sancti Bernardíni Senénsis

Sermo 9 de septem verbis Virginis gloriosæ, art. 3, cap. 2

Et deficiénte vino, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent. Hoc est ígitur illud verbum admirándæ compassiónis et pietátis, quo dulcíssima mater Christi, et advocáta nostra, et in terris et in cælis, pro nobis miserabílibus et infírmis, tamquam pia mater pro fíliis suis úndique deplorándis, dicit diléctο primogénito suo: Vinum non habent. Non quidem ut nos accúset, aut nobis impróperet, sed pótius ut Christum ad piam miseratiónem erga nos indúcat, et ut nobis ímpetret vinum óptimum et copiósum cæléstium sapórum et ebrietátum, atque ómnium virtútum, quæ nobis sunt necessáriæ ad salútem.

℟. Sub tuum præsídium confúgimus, clementíssima Virgo, súscipe nos, única spes nostra, et nostris delectáre láudibus, * Quibus indígni omni te laude digníssimam collaudámus, allelúja. ℣. Aufer a nobis iniquitátes nostras, ut digni canámus tibi glóriæ melos. Quibus indígni omni te laude digníssimam collaudámus, allelúja.

Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Lectio viii

Nóverat Virgo mater omnem creatúram subjacére defectui, ab inópia expugnári, débitam non habére lætítiam, turpíssimis subjacére pudóribus, atque ex deféctu veri boni confúndi, dum in perfunctóriis mundi

quasi in núptiis delectátur. Quamóbrem intercéssit ad Fílium Dei dicens : Vinum non habent. Non ut fáceret ipsum mémorem, qui ómnia novit; sed interpéllans Virgo mater locúta est, ac si ad eam cura ómnium pertinéret.

℟. Porta cæli et stella maris es, Virgo María, * Regis ætérni mater, gratos nos redde Fílio tuo : * Quia omnis virtus, et decor, et glória ex te respléndet, allelúja. ℣. Tu véniæ vena, tu grátiæ mater, tu spes mundi, exáudi nos clamántes ad te. Regis ætérni. Glória Patri. Quia.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Omnium hóminum advocátam se séntiens, quæ pro ómnibus creatúris facta fúerat, Virgo mater offícium advocatiónis et piæ auxiliatrícis assúmpsit. Si hoc non rogáta perfécit, quid rogáta perfíciet? Si hoc viátrix exístens, quid cum regnat in pátria? Si hoc apud Fílium temporáli morti subjéctum, quid cum mortem superávit, carnem immortálem revocávit a túmulo, collocávit in cælo, patérnam sedet ad déxteram, tenens impérium universórum? Exigit enim ordo divínæ grátiæ ut nos, dum benedícta Virgo mater nostram deficiéntiam supplére inténdit, ejus précibus cooperémur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Dedísti nobis protectiónem salútis tuæ, allelúja. ℟. Et déxtera tua suscépit nos, allelúja.

Ad Bened. Ant. Recordáre, Virgo Mater Dei, * dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui beáta María Vírgine intercedénte in nos divítias Cordis tui dignáris effúndere : concéde, quǽsumus; ut quod in ejúsdem Vírginis veneratióne depóscimus, te propitiánte cónsequi mereámur : Qui vivis.

AD II VESPERAS

℣. Dedísti, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Ad te clamámus, * Virgo mater : revértere, ut intueámur te largiéntem benefícia, conferéntem remédia, ponéntem fortitúdinem. Osténde nobis fáciem miseratiónum tuárum, et salvi érimus, allelúja.

Oratio ut supra.

DIE 16 MAJI

S. ISIDORI AGRICOLÆ

CONFESSORIS
PATRONI PRINCIPALIS
AGRICOLARUM

III classis

(Ex indult. Apost., die 16 Martii 1943)

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

¶ Lectio contracta; secus e tribus II Nocturni fit una, ut sequitur.

Isidórus Agrícola prope Matrítum Hispániæ urbem, in qua natus fúerat, mercéde coléndis agris condúctus, brevi magnárum sibi virtútum eo in exercítio ubérrimam ségetem parávit. Admirábilis enim Christi ac Sanctórum imitátor, numquam ad opus mane se conferébat, nisi prius Dei regnum studióse quǽreret, ecclesiásque in ipsíus ac Deíparæ honórem dicátas visitáret. Quare cum illíus moram agri dóminus gráviter ferret, atque ex editióre loco quadam die, ut eum libérius increpáret, Agrícolam opperirétur, binos Angelos cándida veste dúplici boum jugo arántes, mediúmque inter illos Isidórum conspéxit. Quo miráculo vulgáto, magno deínceps honóri tam apud herum, quam apud céteros hómines habéri cœpit.

Caritáte in páuperes ádeo flagrávit, ut mercédem, quam labóribus parábat, egéntibus erogáret. Quin étiam cum aliquándo ad commúne cum réliquis confrátribus prándium plúrimos páuperes adduxísset, nihílque áliud, prándio scílicet finíto, quam pulménti partem sibi reservátam reperísset, illam vir Dei, fide singulári fretus, ita distríbuit, ut admirabíliter aucta iis ómnibus aléndis saturandísque sufficeret. Illud étiam inter cétera mirándum, quod per æstívos calóres ad exstinguéndam in agro sitim, aquæ potum hero flagitánte, cum núllibi scatéret, Isidórus stímulo, quem gerébat, humo percússa, úberem ex ea, et perénnem ad hæc usque témpora fontem elícuit.

Igitur sanctitáte clarus, cum ad últimam senectútem pervenísset, obdormívit in Dómino, et in cœmetério sancti Andréæ sepúltus támdiu ibi jácuit, quoad cives de ipsíus córpore honéstius in ecclésia collocándo divínitus móniti, illud in lóculo íntegrum atque ádeo incorrúptum invenérunt, ut ex eo suavíssimus odor, qui hac étiam tempestáte perdúrat, effláret. Sacrum corpus in ecclésiam translátum, et in editióre loco situm, máximis Deus miráculis illustrávit. Quorum beneficéntiam non semel tam ipsa Matríti cívitas, quam étiam cétera Hispániæ loca, ope ipsíus imploráta, persensérunt. Quem postrémo post annos fere quadringéntos fama sanctitátis, ac miráculis illústrem, Gregórius décimus quintus in Sanctórum númerum rétulit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúja.

Oratio

Da nobis, quǽsumus, míséricors Deus, beáto Isidóro Agrícola Confessóre tuo intercedénte, supérbe non sápere : sed ejus méritis et exémplis plácita tibi semper humilitáte deservíre. Per Dñm.

Et fit com. S. Ubaldi Ep. et Conf. :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúia.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio

Auxílium tuum nobis, Dómine, quǽsumus, placátus impénde : et, intercessióne beáti Ubáldi Confessóris tui atque Pontíficis, contra omnes diáboli nequítias déxteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dñm.

AD VESPERAS

℣. Justum, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu, allelúja.

Oratio Da nobis, ut supra.

In cathedr. Carolinapolitana

DIE 19 MAJI

SANCTI DUNSTANI

EP. ET CONF.

TITUL. ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia de Communi Conf. Pont., præter seq.

AD I VESPERAS

Oratio

Deus, qui beátum Dunstánum Pontíficem tuum ad regna transtulísti cæléstia : da nobis per glorióśa ejus mérita ad gáudia transíre perénnia. Per Dóminum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Dunstánus, nóbili génere ortus, cum ex regis aula adversántibus ǽmulis pelleréτur, mundo valefáciens, Glastóniam tunc témporis mónachis vácuam secéssit, et monachórum cœtum cóngregans eorúmdem abbas effféctus est. Régibus Edmúndo et Edrédo acceptíssimus fuit : Edwío vero invísus, cum pravos ejúsdem actus argúeret, et cupiditátibus adversarétur. Unde factum est, ut persequénte rege fúgere coáctus sit, et Gandávi in Flándria exsul dégeret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Regnánte autem Edgáro in pátriam summa ómnium lætítia revocátus, paulo post ad archiepiscopátum Cantuariénsem elevátus est. Ecclesiásticæ disciplínæ propagátor acérrimus, némini delinquénti parcébat. Cléricos minus continénter degéntes ex ecclésiis ejécit, eorúmque loco mónachos reguláres introdúxit; regémque ipsum ob peccáta commíssa septénni pœniténtia coércuit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

DUM Dunstáni severitátem multi formidárent, ejúsdem tamen sanctitátem omnes mirabántur, ita ut apud plebem boni archiepíscopi cognómen sortirétur. Defúnctis Edgáro et Eduárdo régibus Ethelrédo próximo herédi corónam impósuit, cui regnum infáustum, laborésque contínuos prædixísse perhibétur. Mórtuus est autem plenus diérum, et in ecclésia sua sepúltus est, exeúnte sǽculo décimo.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúja. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. homilia in Evang. Vigiláte, de Comm. 2º loco.

Oratio

DEUS, qui beátum Dunstánum Pontíficem tuum ad regna transtulísti cæléstia : da nobis per gloriósa ejus mérita ad gáudia transíre perénnia. Per Dóminum.

In Cathedr. Rimouskien.

DIE 28 MAJI

SANCTI GERMANI PARISIENSIS

EP. ET CONF.

TITULARIS

ECCLES. CATHEDR.

I classis

Omnia de Communi Conf. Pont., præter seq.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

GERMÁNUS, apud Æduos honéstis paréntibus natus, a beáto Scopilióne propínquo suo educátus est, cum quo ad matutínas preces ecclésiam, mille passus pene distántem, quacúmque áëris intempérie adíbat. Présbyter a sancto Agrippíno ordinátus, ex mónacho per Nectárium, Agrippíni successórem, factus est abbas monastérii Sancti Symphoriáni Augustodunénsis. Eusébio

Parisiórum epíscopo mórtuo suffféctus, nihil remísit de vitæ austeritáte quam in monastério égerat. Hora noctis tértia ecclésiam ingréssus, non recedébat ante dilúculum, céteris de clero per tres vigílias sibi vicíssim ad psalléndum succedéntibus. Ita Deo erat inténtus, ut de illo semper áliquid conférret in privátis collóquiis, lectiónes sacras ad mensam adhibéret, et dum iter ágeret, divínum offícium nudo cápite, étiam inter equitándum persólveret. Clerum, pópulum et infántes ipsos, Fortunáto teste, divínas laudes psállere pie instítuit. Mira ejus in páuperes, máxime vero in servos captivósque rediméndos, beneficéntia fuit : quod ei Childebértum regem ita conciliávit, ut ex régio ærário ad pias largitiónes ingéntem ei pecúniam subministráret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

CUM autem Childebértus in gravem morbum apud Cellas, in pago Melodunénsi, incidísset, réddita sibi a Germáno, per impositiónem mánuum, sanitáte, villam ipsam donávit matri ecclésiæ Parisiénsi, quæ jam tunc in honórem sanctæ Maríæ dedicáta erat. Accersítus a Clotário, qui, quod eum contempsísset, a Deo percússus fúerat, illum, admótis vestiméntis suis, sanávit. Caribértum reprehéndit, qui uxóris sorórem dúxerat, eíque sacris interdíxit. Sigebértum, imploráta étiam per lítteras Brunichíldis uxóris ópera, deterrére conátus est a cæde Chilperíci fratris, suísque mónitis reluctántem brevi moritúrum prædíxit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

PROFÉCTUS ad sýnodum Bituricénsem, in qua Felix est ordinátus, Judǽum quemdam lucrátus est, ejúsque cónjugem a dǽmone obséssam liberávit, quæ mox una cum multis áliis Judǽis christiánam fidem proféssa est. Augustodúni, in ordinatióne Syágrii, Florentíno, qui póstea Matisconénsis epíscopus fuit, óculi usum restítuit. Parísiis cum ad basílicam sanctórum Gervásii et Protásii orándi causa accéderet, solo crucis signo occlúsas fores apéruit. Sedit in concílio Parisiénsi tértio et quarto, et in Turonénsi secúndo. Aliquot ante tránsitum diébus, ad suum léctulum per notárium inscríbi vóluit verba : Quinto Kaléndas Június. Qua die cum obiísset, tunc apértus est, qui eátenus latúerat verbórum sensus. Corpus ejus sepúltum est Parísiis ad sanctum Vincéntium, in oratório sancti Symphoriáni, et sub Pippíno in majórem hujus monastérii basílicam translátum.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúja. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis.
Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 10, 11-16

IN illo témpore : Dixit Jesus pharisǽis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 138

AUDÍVIMUS Dóminum Jesum commendántem nobis boni pastóris offícium. In qua commendatióne admónuit nos útique; ut intélligi datur, bonos esse pastóres. Et tamen ne intelligerétur pervérso modo multitúdo pastórum : Ego sum, inquit, pastor bonus. Et unde sit pastor bonus consequénter osténdit : Pastor, inquit, bonus ánimam suam ponit pro óvibus. Mercenárius autem, et qui non est pastor, videt lupum veniéntem, et fugit : quóniam non est ei cura de óvibus; mercenárius est enim. Pastor ergo bonus Christus. Quid Petrus? Nonne bonus pastor? Nonne et ipse ánimam pro óvibus pósuit? Quid Paulus? Quid céteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi mártyres? Nonne omnes pastóres boni; non mercenárii, de quibus dícitur : Amen dico vobis, percepérunt mercédem suam?

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

DÓMINUS unitátem commméndans pastóribus bonis, nóluit multos appelláre pastóres. Neque enim, ut dixi jam, non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apóstoli céteri, et posterióres sancti Epíscopi. Omnes hi pastóres boni; et tamen ille pastóribus bonis non commendávit pastóres bonos, sed pastórem bonum. Ego sum, inquit, pastor bonus. Quid dicis, Dómine, bone pastor? Audiámus, et ádjuva ut intelligámus. Ego sum, inquit, pastor bonus.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis, allelúja. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

QUID est ergo quod pastóribus bonis comméndas unum pastórem, nisi quia in uno pastóre doces unitátem? Et expónit apértius ipse Dóminus per ministérium nostrum, ex ipso Evangélio commémorans caritátem vestram, et dicens : Audíte quid commendávi. Ego sum pastor bonus, dixi :

quia omnes céteri, omnes pastóres boni, membra mea sunt. Unum caput, unum corpus, unus Christus. Quid sunt hæc, nisi quod dicit Apóstolus : Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, ómnia autem membra córporis cum sint multa, unum est corpus, sic et Christus. Ergo si sic et Christus, mérito Christus in se habens omnes pastóres bonos, unum comméndat dicens, Ego sum pastor bonus. Ego sum, unus sum, mecum omnes in unitáte unum sunt.

Te Deum laudámus.

Oratio

Deus, Sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti : da Ecclésiæ tuæ in ejus natalítio exsultánti; ut apud misericórdiam tuam exémplis ejus protegátur et méritis. Per Dóminum.

In Provincia Quebecen.

DIE 30 MAJI

SANCTÆ JOANNÆ DE ARC

VIRGINIS

III classis

AD I VESPERAS

Sicubi festum sub gradu I classis recolatur, ant. et capit. de Laud. 52, pss. ut in Communi fest. B. Mariæ Virg., hymnus Stat cultrix, ut infra.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ, allelúja.
℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Hæc est Joánna, * virgo Aurelianénsis : hæc est, quæ multum orat pro pópulo, et pro univérsa Gallórum gente, allelúja.

Oratio Deus, qui, ut ad Laudes 53

AD MATUTINUM

Invit. Regem Vírginum Dóminum, *
Veníte, adorémus, allelúja.
Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

Stat cultrix vígilans páuperis hórtuli,
Annórum trédecim párvula, nil sciens,
Primas docta preces, præ sóciis pia,
Simplex, mitis et ínnocens.

Orántem Míchaël Angelus édocet,
Quam claræ párili lúmine vírgines,
Virtútum méritis conspícuæ simul,
Crebris allóquiis fovent.

Dum voces súperas éxcipit, éxpavet :
Sed, fidens Dómino, fórtior in dies,
Parens impériis, pro pátria libens
Castam se vovet hóstiam.

Mox dulces sócias et pátriam domum,
Et cum matre patrem jussa relínquere,
Miles facta Dei, quo vocat Angelus,
Fertur nil trépidans eques.

Qui terras státuit, glória sit Patri :
Qui gentes rédimit, glória Fílio :
Sancto Spirítui glória, qui pias
Et fortes ánimas facit. Amen.

In I Nocturno

Ant. Eleváta est * magnificéntia Joánnæ super cælos, allelúja.

Psalmi de Communi Vírginum.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ, allelúja.
℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo, allelúja.

Pater. Absol. Exáudi.
Bened. Benedictióne.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 51, 1-7

Confitébor tibi, Dómine Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me : a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta : de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei : * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ, allelúja. ℣. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli, quia misit me in adjutórium vobis. Et.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 51, 8-12

LAUDÁBIT usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt : quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et líberas eos de mánibus géntium.

℟. Ego tuli te de domo patris tui, et audíre feci tibi vocem meam : * Fuíque tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, allelúja. ℣. Feci tibi nomen grande in univérso pópulo tuo, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra. Fuíque tecum.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 51, 13-17

EXALTÁSTI super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. Adonái, Dómine, Deus magne et mirábilis, qui dedísti salútem in manu féminæ : * Exáudi preces servórum tuórum, allelúja. ℣. Benedíctus es, Dómine, qui non derelínquis præsuméntes de te, et de sua virtúte gloriántes humílias. Exáudi. Glória Patri. Exáudi.

In II Nocturno

Ant. Propter veritátem, * et mansuetúdinem, et justítiam, dedúcet te mirabíliter déxtera tua, allelúja.

Pss. de Comm. Virg.

℣. Factus est Dóminus suscéptor meus, allelúja. ℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis, allelúja.

¶ Si hoc festum celebratur sub ritu III classis, tunc lectio iii contracta; secus e tribus II Nocturni fit una. (Bened. Ad societátem.)

Pater. Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

JOÁNNA de Arc, in óppido Domreménsi, olim diœcésis Tullénsis, nunc Sancti Deódati, conspícuis fide et morum integritáte paréntibus orta est, anno Christi millésimo quadringentésimo duodécimo. Vix trédecim annos habébat, solúmmodo doméstica negótia, opus rústicum, et prima rerum divinárum eleménta edócta erat, cum se a Deo eléctam esse admónita est, ad Gálliam ab hóstibus liberándam, et ad prístinum regnum restituéndum. Postquam per quinque annos Míchaël Archángelus atque Catharína et Margaríta, vírgines sanctæ, quibus familiáriter utebátur, certiórem eam fecérunt, quómodo rem jussam perágeret ; Deo paréndum esse rata, a præfécto Vallis Colórum pétiit, et, post nonnúllas repúlsas, obtínuit ut viros sibi daret, qui se ad Cárolum regem dúcerent.

℟. Benedícat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros : * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum, allelúja. ℣. Tu lætítia, tu honorificéntia pópuli nostri, quia nomen tuum ita magnificávit Dóminus. Ut.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

SUPÉRNIS mónitis obtémperans, superátis longi itíneris difficultátibus, ad Castrum Cainonénse in agro Turónico pervénit, et, Cárolo regi facta fide se a Deo missam esse, in urbem Auréliam profécta est. Paucis diébus, terríbili ímpetu, tríplicem cladem hóstibus inflíxit, castélla expugnávit, suúmque sústulit vexíllum. Inde, post ália béllica facta, in quibus mirum in modum appáruit auxílium Dei, Rhemos Cárolum duxit, ut régia consecratióne inungerétur.

Nec quiescéndum esse cénsuit : sed cum a cæléstibus núntiis accepísset se, Deo permitténte, in hóstium potestátem esse ventúram, libénti ánimo, quæ fíeri necésse esset, suscépit.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, unxérunt regem, et ascendéntes læti dixérunt : Vivat rex. * Et facta est lætítia magna in pópulo, allelúja. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum, qui per manum féminæ fecit victóriam. Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Capta Joánna in civitáte Compéndio, et hóstibus prétio trádita, Rothómagum mox ducta, cum ibi in jus rapta esset, quamplúrimis criminatiónibus, excépta morum castitáte, fuit obnóxia; sed ómnia pro Jesu patiénter tolerávit. Acta per corruptíssimos júdices causa, ínnocens et mitis virgo damnáta est pœna combustiónis. Igitur sacra Eucharístia, quam támdiu desideráverat, refécta, óculis ad crucem convérsis, nomen Jesu sæpíssime ingéminans, ad cælum evolávit die trigésima Maji, nondum expléto ætátis suæ anno vigésimo. Románа Ecclésia, quam semper diléxerat, et ad quam sæpius provocáverat, eam ab omni crímine vindicándam, Callísto tértio summo Pontífice, curávit. Vergénte in finem sæculo undevigésimo, Leo décimus tértius Aurelianénsis Puéllæ causam introdúci permísit. Postrémo Joánnam de Arc summus Póntifex Pius décimus in beatárum, Benedíctus vero décimus quintus in sanctárum Vírginum númerum rétulit. Pius tandem undécimus, Francórum votis præsulum ánnuens, post beátam Maríam in cælos assúmptam, Gálliæ patrónam illam secúndam declarávit et constítuit.

℟. Puélla mea, noli timére, quia ego tecum sum, dicit Dóminus : * Si transíeris per ignem, flamma non nocébit ánimæ tuæ, et ego glorificábo eam, allelúja. ℣. Mittam tibi Angelum meum, et in médio flammæ laudábis nomen meum. Si. Glória Patri. Si.

In III Nocturno

Ant. Conféssio et pulchritúdo * in conspéctu ejus, sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne ejus, allelúja.

Pss. de Comm. Virg.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus, allelúja. ℟. Corónam de lápide pretióso, allelúja.

Pater. Absol. A vínculis.
Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 16, 24-27

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi

Can. 16, 17

O beátum damnum et jactúra felix! ditéscere nos Dóminus detriménto ánimæ et córporis vóluit, et esse sui símiles hortátur : quia ipse in figúra Dei constitútus, usque ad mortem húmilis et obédiens factus, principátum potestátis totíus, quæ in Deo est, accépit. Sequéndus ígitur est cruce assúmpta, et passiónis suæ si non sorte, áttamen voluntáte, comitándus est. Quid enim prodest occupásse mundum, et toto terrénæ potestátis dominátu ópibus sǽculi incubáre, si perdénda ánima et suscipiéndum vitæ detriméntum est?

℟. Exáudiat Dóminus oratiónem puéllæ suæ, qua orávit pro nobis, ut reconciliétur nobíscum Deus : * Fac, Dómine, ut máneat Nomen sanctum tuum in terra nostra, allelúja. ℣. Réspice, Dómine, et vísita pópulum tuum, ne defíciat in eo Hóstia et Sacrifícium. Fac, Dómine.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

Quæ autem commutátio pro ánima, cum fúerit amíssa, quærétur? cum Angelis enim Christus áderit, reddens síngulis ut merebúntur. Quid afferémus ad vitam? Præparátos credo terrenárum opum futúris commérciis thesáuros, ambitiósos dignitátum famǽque títulos, aut véteres delicátæ nobilitátis imágines? Negánda sunt hæc ómnia, ut melióribus abundémus, et

contémptu universórum Christus sequéndus est, et ætérnitas spirituálium, terrenórum est damno comparánda.

℟. Dómine, prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis : * Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso, allelúja. ℣. Quia minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. Posuísti. Glória Patri. Posuísti.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

GRAVE onus infirmitáti humánæ imposúerat, ut, cum sensum vitæ hómines ex vivéndi afféctu habére cœpíssent, fructum ejus, qui præsens corpóribus blandiebátur, amítterent; negaréntque se sibi, id est, quod esse cœpíssent, esse se nollent; cum sensus hujus exórdium ex afféctu voluntátis habuíssent. Opus ergo erat veri ac manifésti exémpli auctoritáte, ut, contra vim sensúmque judícii, optábile fíeret præséntium damnum, lucro deínceps non ambíguo futurórum. Igitur postquam et tolléndam crucem, et perdéndam ánimam, et damno mundi commutándam vitæ æternitátem monúerat, convérsus ad discípulos, ait : Quosdam ex his futúros, qui gustatúri mortem non essent, donec Fílium hóminis in regni sui glória contueréntur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum, allelúja.

Pss. de dom. 1° loco.

2 Suscitávit eam Dóminus, * et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum, allelúja.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta loricam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis, allelúja.

4 Ecce levávit * ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ, allelúja.

5 Custodívit eam * Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam, allelúja.

Capit. Sap. 8, 9-10

PROPÓSUI sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis.

Hymnus

AURELIÁNI túrribus
Frustra premúntur hóstium :
Intrat Joánna : mílites
Hymnos precésque cóncinunt.

Quam vellet hosti párcere!
Hunc voce amíca præmonet,
Sponte ut recédens, líberum
Regnum relínquat Gálliæ.

Negat, sed agmen Gállicum
Ruit : Joánna sánguinem
Profúndit, icta vúlnere,
Deúsque dat victóriam.

Urbes et agros óccupat;
Rursus nitéscunt Lília;
Turmæ fugántur hóstium;
Rhemos patéscit sémita.

O sancta et una Trínitas,
Firmans movénsque péctora,
Contra malum certántibus
Dona vigórem et prǽmium. Amen.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo, allelúja. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam, allelúja.

Ad Bened. Ant. Stans beáta Joánna * in médio flammæ, óculis ad crucem convérsis, sic orábat, dicens : Dómine Jesu, áccipe spíritum meum : ne státuas illis hoc peccátum, allelúja.

Oratio

DEUS, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quǽsumus, ejus intercessióne; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Et fit com. S. Felicis I Papæ et Mart. :

Ant. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúja, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúja. ℟. Mors Sanctórum ejus, allelúja.

Oratio

GREGEM tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Felícem Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Ad Horas ant. et pss. de feria.

¶ Sicubi autem hoc festum sub gradu I classis recolatur, ant. de Laud., ut supra, cum pss. de dominica ut in festis.

AD TERTIAM

Capit. Propósui, ut ad Vesperas.

℟. br. Méritis et précibus beátæ Joánnæ, * Allelúja, allelúja. Méritis. ℣. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Méritis.

℣. Factus est Dóminus suscéptor meus, allelúja.

℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis, allelúja.

Oratio

DEUS, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quǽsumus, ejus intercessióne; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

AD SEXTAM

Capit. Sap. 8, 12

TACÉNTEM me sustinébunt, et loquéntem me respícient, et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent.

℟. br. Factus est Dóminus suscéptor meus, * Allelúja, allelúja. Factus est. ℣. Et refúgium meum in die tribulatiónis. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Factus est.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus, allelúja.
℟. Corónam de lápide pretióso, allelúja.

AD NONAM

Capit. Sap. 8, 13

HABÉBO, per hanc, immortalitátem, et memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relínquam.

℟. br. Posuísti, Dómine, super caput ejus, * Allelúja, allelúja. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo, allelúja.
℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam, allelúja.

AD VESPERAS

Ant. 1 Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum, allelúja.

Pss. ut in Communi festorum B. Mariæ Virg.

2 Suscitávit eam Dóminus, * et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum, allelúja.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta lorícam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis, allelúja.

4 Ecce levávit * ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ, allelúja.

5 Custodívit eam * Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam, allelúja.

Capit. Sap. 8, 9-10

PROPÓSUI sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tǽdii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis.

Hymnus

SALVE, virílis péctoris
Virgo, Patróna Gálliæ!
Torménta dira sústinens,
Christi refers imáginem.
Voces supérnas áudiens,
Jesu repléta lúmine,
Dum fata pandis pátriæ,
Silent pavéntque júdices.
Oppréssa flammis, clámitas
Jesum, crucémque fórtiter
Ampléxa, ad Ipsum, símplicis
Instar colúmbæ, pérvolas.
Choris beátis Vírginum
Adscrípta, cives ádjuva :
Te deprecánte, síngulis
Detur coróna glóriæ.
Sit laus Patri, sit Fílio :
Sancto decus Paráclito,
Qui corda amóre sáuciat,
Vires et auget lánguidis.
Amen.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ, allelúja.
℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Joánna, * sponsa Christi, tutrix et custos pátriæ, esto tuis fámulis murus inexpugnábilis assíduis suffrágiis, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quǽsumus, ejus intercessióne; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Complet. de feria.

In Cathedrali Marianopolit.

DIE 31 MAJI

B. MARIÆ VIRG. REGINÆ MUNDI

TITUL. ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia ut in Brev., omissa com. S. Petronillæ Virg.

Ad I Vesperas, ut ad II, versus et ant. propr.

In Cathedr. S. Bonifatii

DIE 5 JUNII

SANCTI BONIFATII

EP. ET MART.

TITUL. ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia de Communi unius Mart., præter seq.

Oratio

Deus, qui multitúdinem populórum, beáti Bonifátii Mártyris tui atque Pontíficis zelo, ad agnitiónem tui nóminis vocáre dignátus es : concéde propítius; ut, cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

In I Nocturno, lectiones A Miléto, de Communi unius Mart. extra T. P. cum ℟℟. de Communi Mm. T. P. ibi notatis.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Bonifátius, ántea Winfrídus appellátus, apud Anglos natus est exeúnte sǽculo séptimo, et ab ipsa infántia mundum aversátus, vitam monásticam in votis hábuit. Cum ejus pater ánimum sǽculi illécebris permutáre frustra tentásset, monastérium ingréditur, et sub beáti Wolphárdi disciplína ómnium virtútum ac scientiárum génere imbúitur. Annum agens trigésimum sacerdótio insignítur, ac verbi divíni prædicátor assíduus, magno animárum lucro hoc in múnere versátur.

Attamen, regnum Christi adaugére desíderans, contínuo flebat ingéntem multitúdinem barbarórum, qui ignorántiæ ténebris immérsi dǽmoni famulabántur. Qui quidem animárum zelus cum in dies inexstinguíbili ardóre accrésceret, divíno númine per lácrimas et oratiónes exploráto, facultátem a monastérii præpósito obtínuit ad Germánicas oras proficiscéndi.

℟. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, * Et ætérnitas témporum, allelúja, allelúja. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum : gáudium et exsultatiónem obtinébunt. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Ex Anglia duóbus cum sóciis navem solvens, Dorestádium in Frísiæ óppidum venit. Cum autem bellum gravíssimum inter Frísonum regem Radbódum et Cárolum Martéllum exarsísset, sine fructu Evangélium prædicávit. Quaprópter in Angliam revérsus, ad suum redívit monastérium, cui invítus præfícitur. Post elápsum biénnium, ex consénsu epíscopi Vintoniénsis, munus abdicávit, et Romam proféctus est, ut apostólica auctoritáte ad Gentílium conversiónem delegarétur. Cum ad Urbem pervenísset, a Gregório secúndo benígne excípitur, pro Winfrído Bonifátius a Pontífice nominátur. In Germániam diréctus, Thuríngiæ Saxoniǽque pópulis Christum annuntiávit. Cum intérea Radbódus, Frísiæ rex ac infestíssimus christiáni nóminis hostis, occubuísset, Bonifátius ad Frísones rédiit, ubi sancti Willibrórdi sócius per triénnium tanto cum fructu Evangélium prædicávit, ut, destrúctis idolórum simulácris, innúmeræ vero Deo ecclésiæ excitaréntur.

℟. In servis suis, allelúja, * Consolábitur Deus, allelúja. ℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. Consolábitur Deus, allelúja.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

A sancto Willibrórdo ad episcopále munus expetítus, illud detrectávit

ut prómptius infidélium salúti instáret. In Germániam proféctus, plura Hassórum míllia a dæmonis superstitióne avocávit. A Gregório Pontífice Romam evocátus, post insígnem fídei professiónem epíscopus consecrátur. Exínde ad Germános redux, Hássiam et Thuríngiam ab idololatríæ relíquiis pénitus expurgávit. Tanta propter mérita Bonifátius a Gregório tértio ad dignitátem archiepiscopálem evéhitur, et tértio Romam proféctus a summo Pontífice Sedis apostólicæ legátus constitúitur. Qua insignítus auctoritáte quátuor episcopátus instítuit, et várias sýnodos celebrávit, inter quas concílium Leptinénse memorábile est, apud Belgas in Cameracénsi diœcési celebrátum, quo quidem témpore ad fidem in Bélgio adaugéndam egrégie cóntulit. A Zacharía Papa creátus Moguntínus archiepíscopus, ipso Pontífice jubénte, Pipínum in regem Francórum unxit. Post mortem sancti Willibrórdi Ultrajecténsem ecclésiam gubernándam suscépit, primo per Eóbanum, deínde per seípsum, dum ab Ecclésia Moguntína absolútus Ultrajécti resédit. Frisónibus ad idololatríam relápsis, Evangélium prædicáre rursus aggréditur, cumque offício pastoráli occuparétur, a bárbaris et ímpiis homínibus juxta Bornam flúvium cum Eóbano coëpíscopo multísque áliis cruénta cæde perémptus martýrii palma condecorátur. Corpus sancti Bonifátii Mogúntiam translátum, et, ut ipse vivens petíerat, in Fuldénsi monastério, quod exstrúxerat, recónditum fuit, ubi multis miráculis incláruit. Pius autem nonus Póntifex máximus, ejus Offícium et Missam ad univérsam Ecclésiam exténdit.

℟. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, allelúja. ℣. Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit fílios tuos in te. In die. Glória Patri. In die.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 5, 1-12

In illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Liber 1 de Sermone Domini in monte, cap. 2

Beáti mundo corde; quóniam ipsi Deum vidébunt. Quam ergo stulti sunt, qui Deum istis exterióribus óculis quærunt, cum corde videátur, sicut álibi scriptum est : Et in simplicitáte cordis quǽrite illum. Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor. Et quemádmodum lumen hoc vidéri non potest, nisi óculis mundis; ita nec Deus vidétur, nisi mundum sit illud quo vidéri potest. Beáti pacífici; quóniam ipsi fílii Dei vocabúntur. In pace perféctio est, ubi nihil repúgnat; et ídeo fílii Dei pacífici, quóniam nihil in his resístit Deo, et útique fílii similitúdinem patris habére debent.

℟. Ego sum vitis vera, et vos pálmites : * Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúja, allelúja. ℣. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Qui manet.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

Pacífici autem in semetípsis sunt, qui omnes ánimi sui motus componéntes, et subjiciéntes ratióni, id est menti et spirítui, carnalésque concupiscéntias habéntes edómitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordináta ómnia, ut id quod est in hómine præcípuum et excéllens, hoc ímperet, céteris non reluctántibus, quæ sunt nobis bestiísque commúnia; atque idípsum quod excéllit in hómine, id est mens et rátio, subjiciátur potióri, quod est ipsa véritas, unigénitus Fílius Dei. Neque enim imperáre inferióribus potest, nisi superióri se ipse subjíciat. Et hæc est pax, quæ datur in terra homínibus bonæ voluntátis; hæc vita

consummáti perfectíque sapiéntis.

℟. Cándidi facti sunt Nazarǽi ejus, allelúja: splendórem Deo dedérunt, allelúja: * Et sicut lac coaguláti sunt, allelúja, allelúja. ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo, sapphíro pulchrióres. Et sicut lac. Glória Patri. Et sicut lac.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

De hujúsmodi regno pacatíssimo et ordinatíssimo missus est foras princeps hujus sǽculi, qui pervérsis inordinatísque dominátur. Hac pace intrínsecus constitúta atque firmáta, quascúmque persecutiónes ille, qui foras missus est, forínsecus concitáverit, auget glóriam, quæ secúndum Deum est; non áliquid in illo ædifício labefáctans, sed deficiéntibus máchinis suis innotéscere fáciens, quanta fírmitas intus exstrúcta sit. Ideo séquitur: Beáti, qui persecutiónem patiúntur propter justítiam; quóniam ipsórum est regnum cælórum.

Te Deum laudámus.

Oratio

Deus, qui multitúdinem populórum, beáti Bonifátii Mártyris tui atque Pontíficis zelo, ad agnitiónem tui nóminis vocáre dignátus es: concéde propítius; ut, cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dñm.

In Cathedr. Pembroken.

DIE 9 JUNII

SANCTI COLUMBÆ

ABBATIS

TITUL. ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Oratio

Intercéssio nos, quǽsumus, Dómine, beáti Colúmbæ Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Inter patrónos totíus Hibérniæ cum sancto Patrítio et sancta Bríghida mérito recensétur sanctus Colúmba, monasteriórum scholarúmque

perplúrium fundátor, indeféssus evangélii apóstolus, consiliárius reipúblicæ impávidus. Régia utrínque prosápia apud Gartan natus est anno círciter quingentésimo vigésimo primo. Adhuc puer sacerdóti cuídam venerábili apud Kilmacrénan degénti educándus tráditur. Aliquot autem post annos, ad scholam et monastérium, quibus apud Movílle præerat Finiánus magíster id témporis inclytíssimus, sese cóntulit, ubi Sacræ præsértim Scripturæ stúdiis sese dedit, et ad diaconátum est provéctus. Inde proficíscens, ad álterum Finiánum, nimírum Clonardiénsem, virum tum doctrína tum disciplína tradénda insígnem, venit, ut in Sacris Scriptúris addiscéndis ámplius adhuc profíceret; ibíque órdine sacerdotáli ab Etchéno Epíscopo est insignítus. Numquam autem præ humilitáte sibi ingénita assentíre vóluit ut ad dignitátem episcopálem eveherétur. Deníque, disciplínis ómnibus rite imbútus, ad monastérium sancti Maóbii apud Glásnevin sese recépit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúja. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Deínde ad suos in Tirconaíliam anno ætátis vigésimo quinto revérsus, dono accépit a príncipe sibi consanguíneo territórii aliquántum, ubi nunc urbs cui nomen Derry, ibíque Ecclésiam monasteriúmque loco amœníssimo brevi cóndidit. Opus tamen íllico non est aggréssus vir sanctus, cum licéntiam a Maóbio, magístro dilectíssimo, nondum impetrásset. Statim autem ac duo magístri illíus moriéntis núntii ad eum pervenérunt, cíngulum ejus in signum commissiónis sacræ afferéntes, donum a príncipe oblátum lætus accépit. Jam inde ex ómnibus regiónis Tirconaíliæ pártibus consanguínei ejus et nóbiles complúres, in religióne proficiéndi causa,

confèstim confluébant. Trigínta et septem monastéria in pátria fundávit vir sanctus, inter quæ annumerántur permúlta in tota Hibérnia celebérrima. Plúrima quoque in Británnia septentrionáli præsértim inter Pictos Insulanósque cóndidit, apud quos tum monachórum pater tum géntium apóstolus hábitus est.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Anno étenim quingentésimo sexagésimo tértio, ad Ionam ínsulam venit ibíque monastérium illud per plura sǽcula doctrína haud secus ac sanctitáte inclytíssimum fundávit, unde ipse discipulíque ad gentes evangelizándas proficiscebántur. Ibi porro peregrínos hospítio excipiébat, peccatóres viam pœniténtiæ edocébat, divíno amóre incendébat omnes. Oráre, laboráre, disciplínis óptimis studére, suáve erat Colúmbæ opus quotidiánum, cui ne per unam quidem horam défuit usque ad mortem; quam post médiam noctem in dilúculo Domínicæ, anno quingentésimo septuagésimo séptimo, ante Dei altáre felicíssime óbiit. Angelórum familiáris erat vir sanctus, amóre Sacraménti Augústi ab incunábulis étiam accénsus. Ejus ópera Iona ínsula parens facta est fecúnda sanctórum.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus, allelúja. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Noct. homilia in Evang. Ecce nos relíquimus, de Comm. Abbatum.

Oratio

Intercéssio nos, quǽsumus, Dómine, beáti Colúmbæ Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

INDEX

.... 1
Junii)......................... 56
Abb... Junii)................................ 60
...nversione S. Pauli (25 *Jan.*)...................... 18
...unstani Ep. et Conf. (19 *Maji*)........................ 41
Franciscæ Xaveriæ Cabrini (3 *Jan.*)................... 12
Francisci Xaverii Conf. (3 *Dec.*)......................... 1
Germani Parisiensis Ep. et Conf. (5 *Maji*).............. 42
Isidori Agricolæ Conf. (16 *Maji*)........................ 39
Joannæ de Arc Virg. (30 *Maji*).......................... 46
Joannis Ap. et Evang. (27 *Dec.*)......................... 11
Margaritæ Bourgeoys Virg. (12 *Jan.*)................... 15
Mariæ Virg. D. N. a Sacro Corde Jesu (8 *Maji*)........ 32
— — Omnium Gratiarum Mediatricis (8 *Maji*)... 27
— — Reginæ mundi.......................... 56
— — de Guadalupe (12 *Dec.*).................. 5
Mariæ Bernardæ Soubirous Virg. (18 *Febr.* vel 16 *Apr.*)... 24

2936-1963. — Turonibus, typis Mame.
Dépôt légal : 2e trimestre 1963.

OFFICIA PROPRIA CANADENSIS DITIONIS

PARS ALTERA

In Cathedr. Carolinapolitana

DIE 19 MAJI

SANCTI DUNSTANI

EP. ET CONF.

TITUL. ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia de Communi Conf. Pont., præter seq.

AD I VESPERAS

Oratio

DEUS, qui beátum Dunstánum Pontíficem tuum ad regna transtulísti cæléstia : da nobis per gloriósa ejus mérita ad gáudia transíre perénnia. Per Dóminum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

DUNSTÁNUS, nóbili génere ortus, cum ex regis aula adversántibus æmulis pellerétur, mundo valefáciens, Glastóniam tunc témporis mónachis vácuam secéssit, et monachórum cœtum cóngregans eorúmdem abbas efféctus est. Régibus Edmúndo et Edrédo acceptíssimus fuit : Edwío vero invísus, cum pravos ejúsdem actus argúeret, et cupiditátibus adversarétur. Unde factum est, ut persequénte rege fúgere coáctus sit, et Gandávi in Flándria exsul dégeret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

REGNÁNTE autem Edgáro in pátriam summa ómnium lætítia revocátus, paulo post ad archiepiscopátum Cantuariénsem elevátus est. Ecclesiásticæ disciplínæ propagátor

acérrimus, némini delinquénti parcébat. Cléricos minus continénter degéntes ex ecclésiis ejécit, eorúmque loco mónachos reguláres introdúxit; regémque ipsum ob peccáta commíssa septénni pœniténtia coércuit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Dum Dunstáni severitátem multi formidárent, ejúsdem tamen sanctitátem omnes mirabántur, ita ut apud plebem boni archiepíscopi cognómen sortirétur. Defúnctis Edgáro et Eduárdo régibus, Ethelrédo próximo herédi corónam impósuit, cui regnum infáustum, laborésque contínuos prædixísse perhibétur. Mórtuus est autem plenus diérum, et in ecclésia sua sepúltus est, exeúnte sǽculo décimo.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. homilia in Evang. Vigiláte, de Comm. Conf. Pont. 2º loco.

Oratio

Deus, qui beátum Dunstánum Pontíficem tuum ad regna transtulísti cæléstia : da nobis per gloriósa ejus mérita ad gáudia transíre perénnia. Per Dóminum.

In Cathedr. Rimouskien.

DIE 28 MAJI

SANCTI GERMANI PARISIENSIS

EP. ET CONF.

TITUL. ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia de Communi Conf. Pont., præter seq.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Germánus, apud Æduos honéstis paréntibus natus, a beáto Scopilióne propínquo suo educátus est, cum quo ad matutínas preces ecclésiam, mille passus pene distántem, quacúmque áëris intempérie adíbat. Présbyter a sancto Agrippíno ordinátus, ex mónacho per Nectárium, Agrippíni successórem, factus est abbas monastérii Sancti Symphoriáni Augustodunénsis. Eusébio Parisiórum epíscopo mórtuo suffectus, nihil remísit de vitæ austeritáte quam in monastério égerat. Hora noctis tértia ecclésiam ingréssus, non recedébat ante dilúculum, céteris de clero per tres vigílias sibi vicíssim ad psalléndum succedéntibus. Ita Deo erat inténtus, ut de illo semper áliquid conférret in privátis collóquiis, lectiónes sacras ad mensam adhibéret, et dum iter ágeret, divínum offícium nudo cápite, étiam inter equitándum persólveret. Clerum, pópulum et infántes ipsos, Fortunáto teste, divínas laudes psállere pie instítuit. Mira ejus in páuperes, máxime vero in servos captivósque rediméndos, beneficéntia fuit : quod ei Childebértum regem ita conciliávit, ut ex régio ærário ad pias largitiónes ingéntem ei pecúniam subministráret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Cum autem Childebértus in gravem morbum apud Cellas, in pago Melodunénsi, incidísset, réddita sibi a Germáno, per impositiónem mánuum, sanitáte, villam ipsam donávit matri ecclésiæ Parisiénsi, quæ jam tunc in honórem sanctæ Maríæ dedicáta erat. Accersítus a Clotário, qui, quod eum contempsísset, a Deo percússus fúerat, illum, admótis vestiméntis suis, sanávit. Caribértum reprehéndit, qui uxóris sorórem dúxerat, eíque sacris interdíxit. Sigebértum, implóráta étiam per líttteras Brunichíldis uxóris ópera, deterrére conátus est a cæde Chilperíci fratris, suísque mónitis reluctántem brevi moritúrum prædíxit.

℞. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Proféctus ad sýnodum Bituricénsem, in qua Felix est ordinátus, Judǽum quemdam lucrátus est, ejúsque cónjugem a dǽmone obséssam liberávit, quæ mox una cum multis áliis Judǽis christiánam fidem proféssa est. Augustodúni, in ordinatióne Syágrii, Florentíno, qui póstea Matisconénsis epíscopus fuit, óculi usum restítuit. Parísiis cum ad basílicam sanctórum Gervásii et Protásii orándi causa accéderet, solo crucis signo occlúsas fores apéruit. Sedit in concílio Parisiénsi tértio et quarto, et in Turonénsi secúndo. Aliquot ante tránsitum diébus, ad suum léctulum per notárium inscríbi vóluit verba : Quinto Kaléndas Június. Qua die cum obiísset, tunc apértus est, qui eátenus latúerat verbórum sensus. Corpus ejus sepúltum est Parísiis ad sanctum Vincéntium, in oratório Sancti Symphoriáni, et sub Pippíno in majórem hujus monastérii basílicam translátum.

℞. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis.

Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 10, 11-16

In illo témpore : Dixit Jesus pharisǽis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 138

Audívimus Dóminum Jesum commendántem nobis boni pastóris offícium. In qua commendatióne admónuit nos útique; ut intélligi datur, bonos esse pastóres.

Et tamen ne intelligerétur pervérso modo multitúdo pastórum : Ego sum, inquit, pastor bonus. Et unde sit pastor bonus consequénter osténdit : Pastor, inquit, bonus ánimam suam ponit pro óvibus. Mercenárius autem, et qui non est pastor, videt lupum veniéntem, et fugit : quóniam non est ei cura de óvibus; mercenárius est enim. Pastor ergo bonus Christus. Quid Petrus? Nonne bonus pastor? Nonne et ipse ánimam pro óvibus pósuit? Quid Paulus? Quid céteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi mártyres? Nonne omnes pastóres boni; non mercenárii, de quibus dícitur : Amen dico vobis, percepérunt mercédem suam?

℞. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loríicam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

Dóminus unitátem commendans pastóribus bonis, nóluit multos appelláre pastóres. Neque enim, ut dixi jam, non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apóstoli céteri, et posterióres sancti Epíscopi. Omnes hi pastóres boni; et tamen ille pastóribus bonis non commendávit pastóres bonos, sed pastórem bonum. Ego sum, inquit, pastor bonus. Quid dicis, Dómine, bone pastor? Audiámus, et ádjuva ut intelligámus. Ego sum, inquit, pastor bonus.

℞. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Quid est ergo quod pastóribus bonis comméndas unum pastórem, nisi quia in uno pastóre doces unitátem? Et expónit apértius ipse Dóminus per ministérium nostrum, ex ipso Evangélio commémorans caritátem vestram, et dicens : Audíte

quid commendávi. Ego sum pastor bonus, dixi : quia omnes céteri, omnes pastóres boni, membra mea sunt. Unum caput, unum corpus, unus Christus. Quid sunt hæc, nisi quod dicit Apóstolus : Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, ómnia autem membra córporis cum sint multa, unum est corpus, sic et Christus. Ergo si sic et Christus, mérito Christus in se habens omnes pastóres bonos, unum comméndat dicens, Ego sum pastor bonus. Ego sum, unus sum, mecum omnes in unitáte unum sunt.

Te Deum laudámus.

Oratio

DEUS, Sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti : da Ecclésiæ tuæ in ejus natalítio exsultánti; ut apud misericórdiam tuam exémplis ejus protegátur et méritis. Per Dóminum.

In Provincia Quebecen.

DIE 30 MAJI

SANCTÆ JOANNÆ DE ARC

VIRGINIS

III classis

AD I VESPERAS

Sicubi hoc festum sub gradu I classis recolatur, ant. et capit. de Laudibus 12; pss. ut in Communi festorum B. Mariæ Virg., hymnus Stat cultrix, ut infra.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ. ℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo.

Ad Magnif. Ant. Hæc est Joánna, * virgo Aurelianénsis : hæc est, quæ multum orat pro pópulo, et pro univérsa Gallórum gente.

Oratio ut ad Laudes 14

AD MATUTINUM

Invit. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

STAT cultrix vígilans páuperis hórtuli,
Annórum trédecim párvula, nil sciens,
Primas docta preces, præ sóciis pia,
Simplex, mitis et ínnocens.

Orántem Míchaël Angelus édocet,
Quam claræ párili lúmine vírgines,
Virtútum méritis conspícuæ simul,
Crebris allóquiis fovent.
Dum voces súperas éxcipit, éxpavet :
Sed, fidens Dómino, fórtior in dies,
Parens impériis, pro pátria libens
Castam se vovet hóstiam.
Mox dulces sócias et pátriam domum,
Et cum matre patrem jussa relínquere,
Miles facta Dei, quo vocat Angelus,
Fertur nil trépidans eques.
Qui terras státuit, glória sit Patri :
Qui gentes rédimit, glória Fílio :
Sancto Spirítui glória, qui pias
Et fortes ánimas facit. Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Eleváta est * magnificéntia Joánnæ super cælos.

Psalmi trium Noct. de Communi Virg.

Ant. 2 Veni, elécta mea, * et ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam.

Ant. 3 Accépit benedictiónem * a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ. ℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo.

Pater. Absol. Exáudi. Bened. Benedictióne.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 51, 1-7

CONFITÉBOR tibi, Dómine, Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium

ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me : a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta : de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei : * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli, quia misit me in adjutórium vobis. Et.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 51, 8-12

LAUDÁBIT usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt : quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et líberas eos de mánibus géntium.

℟. Ego tuli te de domo patris tui, et audíre feci tibi vocem meam : * Fuíque tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti. ℣. Feci tibi nomen grande in univérso pópulo tuo, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra. Fuíque tecum.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 51, 13-17

EXALTÁSTI super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. Adonái, Dómine, Deus magne et mirábilis, qui dedísti salútem in manu féminæ : * Exáudi preces servórum tuórum. ℣. Benedíctus es, Dómine, qui non derelínquis præsuméntes de te, et de sua

virtúte gloriántes humílias. Exáudi. Glória Patri. Exáudi.

In II Nocturno

Ant. 4 Propter veritátem, * et mansuetúdinem, et justítiam, dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Ant. 5 Arcum cónteret, * et confrínget arma, et scuta combúret igni.

Ant. 6 Justítia * et misericórdia plena est déxtera tua.

℣. Factus est Dóminus suscéptor meus. ℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis.

Pater. Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

¶ Si hoc festum celebratur sub ritu III classis, tunc lectio iii contracta; secus e tribus II Nocturni fit una.

Lectio iv

JOÁNNA de Arc, in óppido Domreménsi, olim diœcésis Tullénsis, nunc Sancti Deódati, conspícuis fide et morum integritáte paréntibus orta est, anno Christi millésimo quadringentésimo duodécimo. Vix trédecim annos habébat, solúmmodo doméstica negótia, opus rústicum, et prima rerum divinárum eleménta edócta erat, cum se a Deo eléctam esse admónita est, ad Gálliam ab hóstibus liberándam, et ad prístinum regnum restituéndum. Postquam per quinque annos Míchaël Archángelus atque Catharína et Margaríta, vírgines sanctæ, quibus familiáriter utebátur, certiórem eam fecérunt, quómodo rem jussam perágeret; Deo paréndum esse rata, a præfécto Vallis Colórum pétiit, et, post nonnúllas repúlsas, obtínuit ut viros sibi daret, qui se ad Cárolum regem dúcerent.

℟. Benedícat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros : * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum. ℣. Tu lætítia, tu honorificéntia pópuli nostri, quia nomen tuum ita magnificávit Dóminus. Ut.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

SUPÉRNIS mónitis obtémperans, superátis longi itíneris difficultátibus, ad Castrum Cainonénse in agro Turónico pervénit, et, Cárolo regi facta fide se a Deo

missam esse, in urbem Auréliam profécta est. Paucis diébus, terríbili ímpetu, tríplicem cladem hóstibus inflíxit, castélla expugnávit, suúmque sústulit vexíllum. Inde, post ália béllica facta, in quibus mirum in modum appáruit auxílium Dei, Rhemos Cárolum duxit, ut régia consecratióne inungerétur. Nec quiescéndum esse cénsuit : sed cum a cæléstibus núntiis accepísset se, Deo permitténte, in hóstium potestátem esse ventúram, libénti ánimo, quæ fíeri necésse esset, suscépit.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, unxérunt regem, et ascendéntes læti dixérunt : Vivat rex. * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum, qui per manum féminæ fecit victóriam. Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

CAPTA Joánna in civitáte Compéndio, et hóstibus prétio trádita, Rothómagum mox ducta, cum ibi in jus rapta esset, quamplúrimis criminatiónibus, excépta morum castitáte, fuit obnóxia; sed ómnia pro Jesu patiénter tolerávit. Acta per corruptíssimos júdices causa, ínnocens et mitis virgo damnáta est pœna combustiónis. Igitur sacra Eucharístia, quam támdiu desideráverat, refécta, óculis ad crucem convérsis, nomen Jesu sæpíssime ingéminans, ad cælum evolávit die trigésima Maji, nondum expléto ætátis suæ anno vigésimo. Románа Ecclésia, quam semper diléxerat, et ad quam sǽpius provocáverat, eam ab omni crímine vindicándam, Callísto tértio summo Pontífice, curávit. Vergénte in finem sǽculo undevigésimo, Leo décimus tértius Aurelianénsis Puéllæ causam introdúci permísit. Postrémo Joánnam de Arc summus Póntifex Pius décimus in beatárum, Benedíctus vero décimus quintus in sanctárum Vírginum númerum rétulit. Pius tandem undécimus, Francórum votis prǽsulum ánnuens, post beátam Maríam in cælos assúmptam, Gálliæ patrónam illam secúndam declarávit et constítuit.

℟. Puélla mea, noli timére, quia ego tecum sum, dicit Dóminus : * Si transíeris per ignem, flamma non nocébit ánimæ tuæ, et ego glorificábo eam. ℣. Mittam tibi Angelum meum et in médio flammæ laudábis nomen meum. Si. Glória Patri. Si.

In III Nocturno

Ant. 7 Conféssio et pulchritúdo * in conspéctu ejus, sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Ant. 8 Annuntiavérunt * cæli justítiam ejus, et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Ant. 9 Judicávit * in justítia, et pópulos in æquitáte.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Pater. Absol. A vínculis.
Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 16, 24-27

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi

Can. 16, 17

O BEÁTUM damnum et jactúra felix! ditéscere nos Dóminus detriménto ánimæ et córporis vóluit, et esse sui símiles hortátur : quia ipse in figúra Dei constitútus, usque ad mortem húmilis et obédiens factus, principátum potestátis totíus, quæ in Deo est, accépit. Sequéndus ígitur est cruce assúmpta, et passiónis suæ si non sorte, áttamen voluntáte comitándus est. Quid enim prodest occupásse mundum, et toto terrénæ potestátis dominátu ópibus sǽculi incubáre, si perdénda ánima et suscipiéndum vitæ detriméntum est?

℟. Exáudiat Dóminus oratiónem puéllæ suæ, qua orávit pro nobis, ut reconciliétur nobíscum Deus : * Fac, Dómine, ut máneat Nomen sanctum tuum in terra nostra. ℣. Réspice, Dómine, et vísita pópulum tuum, ne defíciat in eo Hóstia et Sacrifícium. Fac, Dómine.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

Quæ autem commutátio pro ánima, cum fúerit amíssa, quærétur? cum Angelis enim Christus áderit, reddens síngulis ut merebúntur. Quid afferémus ad vitam? Præparátos credo terrenárum opum futúris commérciis thesáuros, ambitiósos dignitátum famǽque títulos aut véteres delicátæ nobilitátis imágines? Negánda sunt hæc ómnia, ut melióribus abundémus: et contémptu universórum Christus sequéndus est, et ætérnitas spirituálium, terrenórum est damno comparánda.

℟. Dómine, prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis: * Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Quia minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. Posuísti. Glória Patri. Posuísti.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Grave onus infirmitáti humánæ imposúerat, ut, cum sensum vitæ hómines ex vivéndi afféctu habére cœpíssent, fructum ejus, qui præsens corpóribus blandiebátur, amítterent; negaréntque se sibi, id est, quod esse cœpíssent, esse se nollent; cum sensus hujus exórdium ex afféctu voluntátis habuíssent. Opus ergo erat veri ac manifésti exémpli auctoritáte, ut, contra vim sensúmque judícii, optábile fíeret præséntium damnum, lucro deínceps non ambíguo futurórum. Igitur postquam et tolléndam crucem, et perdéndam ánimam, et damno mundi commutándam vitæ æternitátem monúerat, convérsus ad discípulos, ait: Quosdam ex his futúros, qui gustatúri mortem non essent, donec Fílium hóminis in regni sui glória contueréntur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum.

Pss. de dominica.

2 Suscitávit eam Dóminus, * et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta lorícam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis.

4 Ecce levávit * ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ.

5 Custodívit eam * Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam.

Capit. Sap. 8, 9-10

Propósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum: sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tǽdii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis.

Hymnus

Aureliáni túrribus
Frustra premúntur hóstium:
Intrat Joánna: mílites
Hymnos precésque cóncinunt.
Quam vellet hosti párcere!
Hunc voce amíca præmonet,
Sponte ut recédens, líberum
Regnum relínquat Gálliæ.
Negat, sed agmen Gállicum
Ruit: Joánna sánguinem
Profúndit, icta vúlnere,
Deúsque dat victóriam.
Urbes et agros óccupat;
Rursus nitéscunt Lília;
Turmæ fugántur hóstium;
Rhemos patéscit sémita.
O sancta et una Trínitas,
Firmans movénsque péctora,
Contra malum certántibus
Dona vigórem et prǽmium. Amen.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam.

Ad Bened. Ant. Stans beáta Joánna * in médio flammæ, óculis ad crucem convérsis, sic orábat, dicens: Dómine Jesu, áccipe spíritum meum: ne státuas illis hoc peccátum.

Oratio

Deus, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter sucitásti: da, quǽsumus, ejus intercessióne; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis,

perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Et fit com. S. Felicis I Papæ et Mart. :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Felícem Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Ad Horas ant. et pss. de feria.

¶ Sicubi autem hoc festum sub gradu I classis recolatur, ant. de Laud., ut supra, cum pss. de dominica ut in festis.

AD TERTIAM

Capit. Propósui, ut ad Vesperas.

℟. br. Méritis et précibus * Beátæ Joánnæ. Méritis. ℣. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo. Beátæ Joánnæ. Glória Patri. Méritis.

℣. Factus est Dóminus suscéptor meus. ℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis.

Oratio

Deus, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quǽsumus, ejus intercessióne; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis. perpétua pace fruátur, Per Dóminum.

AD SEXTAM

Capit. Sap. 8, 12

Tacéntem me sustinébunt, et loquéntem me respícient, et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent.

℟. br. Factus est Dóminus * Suscéptor meus. Factus est. ℣. Et refúgium meum in die tribulatiónis. Suscéptor meus. Glória Patri. Factus est.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

AD NONAM

Capit. Sap. 8, 13

Habébo, per hanc, immortalitátem, et memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relínquam.

℟. br. Posuísti, Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super caput ejus. Glória. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam.

AD VESPERAS

Ant. 1 Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum.

Pss. ut in Communi festorum B. Mariæ Virg.

2 Suscitávit eam Dóminus, * et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta lorícam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis.

4 Ecce levávit * ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ.

5 Custodívit eam * Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam.

Capit. Sap. 8, 9-10

Propósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tǽdii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis.

Hymnus

Salve, virílis péctoris
Virgo, Patróna Gálliæ!
Torménta dira sústinens,
Christi refers imáginem.

Voces supérnas áudiens,
Jesu repléta lúmine,
Dum fata pandis pátriæ,
Silent pavéntque júdices.

Oppréssa flammis, clámitas
Jesum, crucémque fórtiter
Ampléxa, ad Ipsum, símplicis
Instar colúmbæ, pérvolas.

Choris beátis Vírginum
Adscrípta, cives ádjuva :
Te deprecánte, síngulis
Detur coróna glóriæ.

Sit laus Patri, sit Fílio :
Sancto decus Paráclito,
Qui corda amóre sáuciat,
Vires et auget lánguidis.
Amen.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ. ℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo.

Ad Magnif. Ant. Joánna, * sponsa Christi, tutrix et custos pátriæ, esto tuis fámulis murus inexpugnábilis assíduis suffrágiis.

Oratio

Deus, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quǽsumus, ejus intercessióne; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Complet. de Feria.

In Cathedr. Marianopolit.

DIE 31 MAJI

B. MARIÆ VIRG. REGINÆ MUNDI

TITULARIS

ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia ut in Breviario, omissa com. S. Petronillæ Virg.

Ad I Vesperas, ut ad II, versus et ant. propr.

In Cathedr. S. Bonifatii

DIE 5 JUNII

SANCTI BONIFATII

EP. ET MART.

TITUL. ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio

Deus, qui multitúdinem populórum, beáti Bonifátii Mártyris tui atque Pontíficis zelo, ad agnitiónem tui nóminis vocáre dignátus es : concéde propítius; ut, cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

In I Nocturno, lectiones A Miléto.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Bonifátius, ántea Winfrídus appellátus, apud Anglos natus est exeúnte sǽculo séptimo, et ab ipsa infántia mundum aversátus, vitam monásticam in votis hábuit. Cum ejus pater ánimum sǽculi illécebris permutáre frustra tentásset, monastérium ingréditur, et sub beáti Wolphárdi disciplína ómnium virtútum ac scientiárum génere imbúitur. Annum agens trigésimum sacerdótio insignítur, ac verbi divíni prædicátor assíduus, magno animárum lucro hoc in múnere versátur. Attamen, regnum Christi adaugére desíderans, contínuo flebat ingéntem multitúdinem barbarórum, qui ignorántiæ ténebris immérsi dǽmoni famulabántur. Qui quidem animárum zelus cum in dies inexstinguíbili ardóre accrésceret, divíno númine per lácrimas et oratiónes exploráto, facultátem a monastérii præpósito obtínuit ad Germánicas oras proficiscéndi.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Ex Anglia duóbus cum sóciis navem solvens, Dorestádium in Frísiæ óppidum venit. Cum autem bellum gravíssimum inter Frísonum regem Radbódum et Cárolum Martéllum exarsísset, sine fructu Evangélium prædicávit. Quaprópter in Angliam revérsus, ad suum redívit monastérium, cui invítus præfícitur. Post elápsum biénnium, ex consénsu epíscopi Víntoniénsis, munus abdicávit, et Romam proféctus est, ut apostólica auctoritáte ad Gentílium conversiónem delegarétur. Cum ad Urbem pervenísset, a Gregório secúndo benígne excípitur, pro Winfrído Bonifátius a Pontífice nominátur. In Germániam diréctus, Thuríngiæ Saxoniǽque pópulis Christum annuntiávit. Cum intérea Radbódus, Frísiæ rex ac infestíssimus christiáni nóminis hostis, occubuísset, Bonifátius ad Frísones rédiit, ubi sancti Willibrórdi sócius per triénnium tanto cum fructu Evangélium prædicávit, ut, destrúctis idolórum simulácris, innúmeræ vero Deo ecclésiæ excitaréntur.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

A sancto Willibrórdo ad episcopále munus expetítus, illud detrectávit ut prómptius infidélium salúti instáret. In Germániam proféctus, plura Hassórum míllia a dæmonis superstitióne avocávit. A Gregório Pontífice Romam evocátus, post insígnem fídei professiónem epíscopus consecrátur. Exínde ad Germános redux, Hássiam et Thuríngiam ab idololatríæ relíquiis pénitus expurgávit. Tanta propter mérita Bonifátius a Gregório tértio ad dignitátem archiepiscopálem evéhitur, et tértio Romam proféctus a summo Pontífice Sedis apostólicæ legátus constitúitur. Qua insignítus auctoritáte quátuor episcopátus instítuit, et várias sýnodos celebrávit, inter quas concílium Leptinénse memorábile est, apud Belgas in Cameracénsi diœcési celebrátum, quo quidem témpore ad fidem in Bélgio ad augéndam egrégie cóntulit. A Zacharía Papa creátus Moguntínus archiepíscopus, ipso Pontífice jubénte, Pipínum in regem Francórum unxit. Post mortem sancti Willibrórdi Ultrajecténsem ecclésiam gubernándam suscépit, primo per Eóbanum, deínde per seípsum, dum ab ecclésia Moguntína absolútus Ultrajécti resédit. Frisónibus ad idololatríam relápsis, Evangélium prædicáre rursus aggréditur, cumque offício pastoráli occuparétur, a bárbaris et ímpiis homínibus juxta Bornam flúvium cum Eóbano coepíscopo multísque áliis cruénta cæde perémptus martýrii palma condecorátur. Corpus sancti Bonifátii Mogúntiam translátum, et, ut ipse vivens petíerat, in Fuldénsi monastério, quod exstrúxerat, recónditum fuit, ubi multis miráculis incláruit. Pius autem nonus Póntifex máximus, ejus Offícium et Missam ad univérsam Ecclésiam exténdit.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis.
Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 1-12

In illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Lib. 1 de Sermone Domini in monte, cap. 2

Beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt. Quam ergo stulti sunt, qui Deum istis exterióribus óculis quærunt, cum corde videátur, sicut álibi scriptum est : Et in simplicitáte cordis quǽrite illum. Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor. Et quemádmodum lumen hoc vidéri non potest, nisi óculis mundis : ita nec Deus vidétur, nisi mundum sit illud quo vidéri potest. Beáti pacífici : quóniam ipsi fílii Dei vocabúntur. In pace perféctio est, ubi nihil repúgnat; et ídeo fílii Dei pacífici, quóniam nihil in his resístit Deo, et útique fílii similitúdinem patris habére debent.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

Pacífici autem in semetípsis sunt, qui omnes ánimi sui motus componéntes, et subjiciéntes ratióni, id est menti et spirítui, carnalésque concupiscéntias habéntes edómitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordináta ómnia, ut id quod est in hómine præcípuum et excéllens, hoc ímperet, céteris non reluctántibus, quæ sunt nobis bestiísque commúnia; atque idípsum quod excéllit in hómine, id est mens et rátio, subjiciátur potióri, quod est ipsa véritas, unigénitus Fílius Dei. Neque enim imperáre inferióribus potest, nisi superióri se ipse subjíciat. Et hæc est pax, quæ datur in terra homínibus bonæ voluntátis;

hæc vita consummáti perfectíque sapiéntis.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Qui. Glória Patri. Qui.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

De hujúsmodi regno pacatíssimo et ordinatíssimo missus est foras prínceps hujus sǽculi, qui pervérsis inordinatísque dominátur. Hac pace intrínsecus constitúta atque firmáta, quascúmque persecutiónes ille, qui foras missus est, forínsecus concitáverit, auget glóriam, quæ secúndum Deum est; non áliquid in illo ædifício labefáctans, sed deficiéntibus máchinis suis innotéscere fáciens, quanta fírmitas intus exstrúcta sit. Ideo séquitur : Beáti, qui persecutiónem patiúntur propter justítiam; quóniam ipsórum est regnum cælórum.

Te Deum laudámus.

Oratio

Deus, qui multitúdinem populórum, beáti Bonifátii Mártyris tui atque Pontíficis zelo, ad agnitiónem tui nóminis vocáre dignátus es : concéde propítius; ut, cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

In Cathedr. Pembroken.

DIE 9 JUNII

SANCTI COLUMBÆ

ABBATIS

TITUL. ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Oratio

Intercéssio nos, quǽsumus, Dómine, beáti Colúmbæ Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valeámus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus piétas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Inter patrónos totíus Hibérniæ cum sancto Patrítio et sancta Brígida mérito recensétur

sanctus Colúmba, monasteriórum scholarúmque perplúrium fundátor, indeféssus evangélii apóstolus, consiliárius reipúblicæ impávidus. Régia utrínque prosápia apud Gartan natus est anno círciter quingentésimo vigésimo primo. Adhuc puer sacerdóti cuídam venerábili apud Kilmacrénan degénti educándus tráditur. Aliquot autem post annos, ad scholam et monastérium, quibus apud Movílle præerat Finiánus magíster id témporis inclytíssimus, sese cóntulit, ubi Sacræ præsértim Scriptúræ stúdiis sese dedit, et ad diaconátum est provéctus. Inde profícíscens, ad álterum Finiánum, nimírum Clonardiénsem, virum tum doctrína tum disciplína tradénda insígnem, venit, ut in Sacris Scriptúris addiscéndis ámplius adhuc profíceret; ibíque órdine sacerdotáli ab Etchéno Epíscopo est insignítus. Numquam autem præ humilitáte sibi ingénita assentíre vóluit ut ad dignitátem episcopálem eveherétur. Dénique, disciplínis ómnibus rite imbútus, ad monastérium sancti Maóbii apud Glásnevin sese recépit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Deínde ad suos in Tirconaíliam anno ætátis vigésimo quinto revérsus, dono accépit a príncipe sibi consanguíneo territórii aliquántum, ubi nunc urbs cui nomen Derry, ibíque Ecclésiam monasteriúmque loco amœníssimo brevi cóndidit. Opus tamen íllico non est aggréssus vir sanctus, cum licéntiam a Maóbio, magístro dilectíssimo, nondum impetrásset. Statim autem ac duo magístri illíus moriéntis núntii ad eum pervenérunt, cíngulum ejus in signum commissiónis sacræ afferéntes, donum a príncipe oblátum lætus accépit. Jam inde ex ómnibus regiónis Tirconaíliæ pártibus

consanguínei ejus et nóbiles complúres, in religióne proficiéndi causa, conféstim confluébant. Trigínta et septem monastéria in pátria fundávit vir sanctus, inter quæ annumerántur permúlta in tota Hibérnia celebérrima. Plúrima quoque in Británnia septentrionáli præsértim inter Pictos Insulanósque cóndidit, apud quos tum monachórum pater tum géntium apóstolus hábitus est.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Anno étenim quingentésimo sexagésimo tértio, ad Ionam ínsulam venit ibíque monastérium illud per plura sǽcula doctrína haud secus ac sanctitáte inclytíssimum fundávit, unde ipse discipulíque ad gentes evangelizándas proficiscebántur. Ibi porro peregrínos hospítio excipiébat, peccatóres viam pœniténtiæ edocébat, divíno amóre incendébat omnes. Oráre, laboráre, disciplínis óptimis studére, suáve erat Colúmbæ opus quotidiánum, cui ne per unam quidem horam défuit usque ad mortem; quam post médiam noctem in dilúculo Domínicæ, anno quingentésimo septuagésimo séptimo, ante Dei altáre felicíssime óbiit. Angelórum familiáris erat vir sanctus, amóre Sacraménti Augústi ab incunábulis étiam accénsus. Ejus ópera Iona ínsula parens facta est fecúnda sanctórum.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Noct. homilia in Evang. Ecce nos relíquimus, de Communi Abbatum.

Oratio

Intercéssio nos, quǽsumus, Dómine, beáti Colúmbæ Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

In Cathedr. Timmins.

DIE 13 JUNII

SANCTI ANTONII DE PADUA

CONF. ET ECCL. DOCT.

TITUL. ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Ad Magnif. ant. O Doctor óptime, * Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Antóni, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio

Ecclésiam tuam, Deus, beáti Antónii Confessóris tui atque Doctóris solémnitas votíva lætíficet : ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis. Per Dóminum.

In I Nocturno, lectiones Sapiéntiam.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Antónius, Ulyssipóne in Lusitánia honéstis ortus paréntibus, et ab iis pie educátus, adoléscens institútum canonicórum regulárium suscépit. Sed, cum córpora beatórum quinque Mártyrum fratrum Minórum Conímbriam transferréntur, qui paulo ante apud Marróchium pro Christi fide passi erant, martýrii desidério incénsus ad Franciscum órdinem transívit. Mox eódem ardóre impúlsus, ad Saracénos ire perréxit; sed, advérsa valetúdine afflíctus et redíre coáctus, cum navi ad Hispániæ líttora ténderet, ventórum vi in Silíciam delátus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Assísium e Sicília ad capítulum generále venit; inde in erémum montis Pauli in Æmília secéssit, ubi divínis contemplatiónibus, jejúniis et vigíliis diu vacávit. Póstea,

sacris ordínibus initiátus et ad prædicándum Evangélium missus, dicéndi sapiéntia et cópia tantum profécit, tantámque sui admiratiónem commóvit, ut eum summus Póntifex aliquándo concionántem áudiens, arcam Testaménti appellárit. In primis vero hǽreses summa vi profligávit, ideóque perpétuus hæreticórum málleus est vocátus.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

PRIMUS ex suo órdine, ob doctrínæ præstántiam, Bonóniæ et álibi sacras lítteras est interpretátus, fratrúmque suórum stúdiis præfuit. Multis vero peragrátis provínciis, anno ante óbitum Patávium venit, ubi illústria sanctitátis suæ monuménta relíquit. Dénique magnis labóribus pro glória Dei perfúnctus, méritis et miráculis clarus obdormívit in Dómino Idibus Júnii, anno salútis millésimo ducentésimo trigésimo primo. Quem Gregórius nonus, Póntifex máximus, sanctórum Confessórum número adscrípsit, et Pius duodécimus, ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, universális Ecclésiæ Doctórem declarávit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Noct. homilia in Evang. Vos estis sal terræ, de Communi Doctorum 1° loco.

Oratio

ECCLÉSIAM tuam, Deus, beáti Antónii Confessóris tui atque Doctóris solémnitas votíva lætíficet : ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis. Per Dóminum.

In Cathedr. Peterborough.

DIE 29 JUNII

SANCTI PETRI

TITUL. ECCL. CATHEDR.

et S. PAULI

APOSTOLORUM

I classis

Officium ut in Brev.

Ubi conceditur

DIE 6 JULII

Stæ MARIÆ GORETTI

VIRG. ET MART.

III classis

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

¶ Lectio contracta; secus e tribus II Nocturni fit una, ut sequitur

MARÍA Goretti, Corináldi in Picéno, intra Senogalliénsis diœcésis fines, paupéribus piísque paréntibus orta, a prima ætáte morum innocéntia et pietáte enítuit. Sex annos nata, rudiméntis fídei a párocho instrúcta, sacro chrísmate línita est. Mox cum paréntibus, inópia pressis, in Románum agrum migrávit, primo prope Paleánum, Prænestínæ diœcésis; deínde in insalúbres agri plagas prope vicum Conca, Albanénsis diœcésis. Dócili prædita ingénio ac discéndi cúpida, scholas tamen, ob locórum distántiam, adíre nequívit, ideóque litterárum expers, fere única a matre atque a Dei minístris religióne ac bonis móribus instituta est.

Vix decénnis, patre orbáta, matri viduitátis mæróre, familiáribus angústiis et labóribus oppréssæ, subsídium et solámen afférre satégit, illíus partes suscípiens, cum in rebus domésticis expediéndis, tum in frátribus et soróribus educándis. Elucébat in ea præsértim in divína providéntia fidúcia, perfécta obediéntia, sui abnegátio, morum suávitas ac virginális modéstia; quibus virtútibus ómnium grátiam sibi conciliábat. Beatíssimam Dei Genitrícem peculiári cultu prosequebátur, eíque accersítis frátribus, quotidiánum sancti Rosárii obséquium præstáre numquam déstitit. Ut primum per ætátem lícuit, ad sacram Synáxim admítti íterum iterúmque efflagitávit. Vix Angelórum pane refécta, divíni Sponsi amóre ita in dies flagrávit,

ut fírmiter propóneret se velle pótius mori quam fœdári.

Brevi post témpore, angélica Dei fámula ad concéptum propósitum suprémo certámine impléndum vocabátur. Cóntigit enim ut júvenis contubernális, vesána cupiditáte in eam incénsus, semel et íterum innocentíssimæ vírginis pudicítiæ insidiári tentáverit. At angélica adolescéntula, inférni incéndia pravo seductóri objíciens, fórtiter semper óbstitit. Hic íterum atque íterum passus repúlsam, impoténti cæcus libídine, plúries castíssimam puéllam cúspide confódit. Prótinus Neptúnum semiánimis in nosocomíum Fratrum sancti Joánnis de Deo advéhitur, ubi suprémos cruciátus fórtiter perpéssa, suo carnífici ignóscens inter filiárum Maríæ sodáles cooptáta, sacraméntis reféсta, ad cæli glóriam evolávit die sexta Júlii, anno millésimo nongentésimo secúndo, ætátis suæ duodécimo nondum expléto. Quam Pius Papa duodécimus, prius beatárum, deínde miráculis fulgéntem, anno sacro millésimo nongentésimo quinquagésimo, sanctárum albo Vírginum et Mártyrum, toto orbe plaudénte, solémniter adscrípsit.

Te Deum laudámus.

Oratio

Deus, qui fámulæ tuæ Maríæ in ténera ætáte victóriam martýrii contulísti : da nobis, quæsumus, ejus patrocínio in mandátis tuis constántiam, qui dedísti certánti Vírgini corónam. Per Dóminum.

In Diœcesi Quebecen.

DIE 11 JULII

DEDICATIO ECCLES. CATHEDR.

I classis

Officium de Communi Dedicationis Ecclesiæ.

In Cathedr. Marianopolit.

DIE 25 JULII

SANCTI JACOBI

APOSTOLI

SECUNDI TITULARIS

ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia ut in Brev., sine com.

DIE 26 JULII

SANCTÆ ANNÆ MATRIS B. MARIÆ V.

PATRONÆ PRIMARIÆ PROV. QUEBECEN. TUM ECCLESIASTICÆ TUM CIVILIS QUALIS ANNO 1876 EXSISTEBAT

I classis

Omnia ut in Brev.

In Cathedr. S. Hyacinthi

DIE 17 AUGUSTI

SANCTI HYACINTHI

CONFESSORIS

TITUL. ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Oratio

Deus, qui nos beáti Hyacínthi Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

In I Nocturno, lectiones Beátus vir, 1° loco

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Hyacínthus Polónus, nobílibus et christiánis paréntibus, in Camiénsi villa episcopátus Wratislaviénsis natus est. A puerítia lítteris instrúctus, post datam jurisprudéntiæ et sacris lítteris óperam, inter canónicos Cracoviénses adscítus, insígni morum pietáte et summa eruditióne céteros antecélluit. Romæ in Prædicatórum órdinem ab ipso institutóre sancto Domínico adscríptus, perféctam vivéndi ratiónem, quam ab ipso didícerat, usque ad finem vitæ sanctíssime retínuit. Virginitátem perpétuo cóluit; modéstiam, patiéntiam, humilitátem, abstinéntiam ceterásque virtútes, ut certum religiósæ vitæ patrimónium, adamávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Caritáte in Deum fervens, íntegras sæpe noctes fudéndis précibus castigandóque córpori

insúmens, nullum eídem levaméntum, nisi lápidi innixus sive humi cubans, adhibébat. Remíssus in pátriam, Frisáci primum in itínere amplíssimum sui órdinis monastérium, mox Cracóviæ álterum eréxit. Inde per álias Polóniæ regni províncias áliis quátuor exædificátis, incredíbile dictu est quantum verbi Dei prædicatióne et vitæ innocéntia apud omnes profécerit. Nullum diem prætermísit, quo non præclára áliqua fídei, pietátis atque innocéntiæ arguménta præstíterit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Sanctíssimi viri stúdium erga proximórum salútem máximis Deus miráculis illustrávit. Inter quæ illud insígne, quod Vándalum flúvium prope Visográdum aquis redundántem, nullo navígio usus, trajécit, sóciis quoque expánso super undas pállio tradúctis. Admirábili vitæ génere ad quadragínta prope annos post professiónem perdúcto, mortis die suis frátribus prænuntiáto, ipso assúmptæ Vírginis festo, Horis canónicis persolútis, sacraméntis ecclesiásticis summa cum veneratióne percéptis, iis verbis : In manus tuas, Dómine; spíritum Deo réddidit, anno salútis millésimo ducentésimo quinquagésimo séptimo. Quem miráculis, étiam post óbitum, illústrem, Clemens Papa octávus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Noct. homilia in Evang. Sint lumbi, de Communi Conf. non Pont. 1º loco.

Oratio

Deus, qui nos beáti Hyacínthi Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

In Cathedr. Altaripa

DIE 19 AUGUSTI

S. JOANNIS EUDES

CONFESSORIS

TITUL. ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter seq.

Oratio

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum, ad cultum sacrórum Córdium Jesu et Maríæ rite promovéndum, mirabíliter inflammásti, et per eum novas in Ecclésia tua Famílias congregáre voluísti : præsta, quǽsumus; ut, cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque instruámur exémplis. Per eúmdem Dóminum.

In I Nocturno, lectiones Beátus vir, 1º loco.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus piétas. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Joánnes, anno millésimo sexcentésimo primo, in pago vulgo Ri, Sagiénsis diœcésis, e piis honestísque paréntibus ortus est. Adhuc puer, Angelórum pane reféctus, perpétuam castitátem alácriter vovit. In Cadoménse collégium a pátribus Societátis Jesu diréctum excéptus, singulári pietáte emícuit; et Maríæ Vírginis tutélæ sese commíttens, speciále fœdus ínitum cum ea vix adoléscens suo sánguine signávit. Litterárum ac philosophíæ currículo multa cum laude perácto, spretísque sibi oblátis núptiis, Berulliáni Oratórii congregatióni nomen dedit, et sacerdótio Parísiis auctus est. Mira caritáte erga próximum flagrávit : nam apud plura loca, corpóribus, asiática lue percúlsis, animísque curándis sédulam óperam dedit. Domus Oratoriánæ Cadómi rector factus, cum diu cogitáret ad Ecclésiæ ministérium júvenes idóneos institúere, a sodálibus, quibúscum vigínti annos víxerat, divína ope imploráta, licet ægre, forti ánimo discéssit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custódivit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum :

* Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Quinque ígitur sacerdótes sibi consócians, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo tértio, die festo Annuntiatiónis beátæ Maríæ Vírginis, congregatiónem presbyterórum instítuit, cui sanctíssima Jesu et Maríæ nómina dedit, et Cadómi primum seminárium apéruit, quod in Normánnia et Británnia minóri complúra, eódem auctóre, subsecúta sunt. Pro peccatrícibus féminis, ad christiánam vitam revocándis, órdinem Dóminæ nostræ a Caritáte fundávit; cujus nobilíssimæ árboris ramus est congregátio Andegavénsis a Bono Pastóre. Insuper societátem a Matris Dei Corde admirábili, et ália caritátis ópera cóndidit. Scripta plura præcláre édidit, et missionárius Apostólicus tot pagos, óppida et urbes ipsámque régiam aulam, usque ad extrémam ætátem, evangelizávit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Singuláre ejus stúdium emícuit in salutári devotióne promovénda erga sacratíssima Corda Jesu et Maríæ, quorum litúrgicum cultum eísdem præstándum, non sine áliquo divíno afflátu, primus ómnium excogitávit ideóque ejúsdem cultus pater, doctor et apóstolus hábitus est. Jansenistárum doctrínis fórtiter resístens, immutátum erga Petri cáthedram obséquium servávit, et pro suis inimícis, tamquam pro frátribus, assídue Deum precátus est. Tot labóribus, pótius quam annis fractus, cúpiens dissólvi et esse cum Christo, die décima nona Augústi, anno millésimo sexcentésimo octogésimo, suávia Jesu et Maríæ nómina sæpius répetens, plácide exspirávit. Quem plúribus miráculis clarum Pius Papa décimus Bea-

tórum albo adscrípsit, eúmque novis signis fulgéntem Pius Papa undécimus, anno sacro, in die Pentecóstes inter Sanctos rétulit, ejúsque Offícium ac Missam ad univérsam Ecclésiam exténdit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Noct. homilia in Evang. Sint lumbi, de Communi Conf. non Pont. 1° loco.

Oratio

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum, ad cultum sacrórum Córdium Jesu et Maríæ rite promovéndum, mirabíliter inflammásti, et per eum novas in Ecclésia tua Famílias congregáre voluísti: præsta, quæsumus; ut, cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque instruámur exémplis. Per eúmdem Dóminum.

In Cathedr. Quebecen.

DIE 25 AUGUSTI

SANCTI LUDOVICI

REGIS, CONF.
SECUNDI TITULARIS
ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

AD I VESPERAS

Oratio

Deus, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne; Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes : Qui tecum vivit.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Ludovícus nonus, Gálliæ rex, duódecim annos natus, patre amísso, et in Blanchæ matris sanctíssima disciplína educátus, cum jam vigésimum annum in regno ágeret, in morbum íncidit : quo témpore cogitávit de recuperánda possessióne

Jerosolymórum. Quam ob rem, ubi convaluísset, vexíllum ab epíscopo Parisiénsi accépit. Deínde, mare cum ingénti exércitu trajíciens, primo prælio Saracénos fugávit. Sed cum, ex pestiléntia, magna mílitum multitúdo periísset, victus ipse captúsque est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Bened. Deus Pater.

Lectio v

Rebus póstea cum Saracénis compósitis, liber rex exercitúsque dimíttitur. Quinque annis in Oriénte commorátus, plúrimos Christiános a barbarórum servitúte redémit, multos étiam infidéles ad Christi fidem convértit; prætérea áliquot Christianórum urbes refécit suis súmptibus. Intérim mater ejus migrat e vita; quare domum redíre cógitur, ubi totum se dedit pietátis offíciis.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Multa ædificávit monastéria et páuperum hospítia : beneficéntia egéntes sublevábat : frequens visébat ægrótos, quibus ipse non solum suis súmptibus ómnia suppeditábat, sed étiam, quæ opus erant, mánibus ministrábat. Vestítu vulgári utebátur, cilício ac jejúnio corpus assídue affligébat. Sed, cum íterum transmisísset, bellum Saracénis illatúrus, jamque castra in eórum conspéctu posuísset, pestiléntia decéssit in illa oratióne : Introíbo in domum tuam, adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Ejus corpus póstea Lutétiam Parisiórum translátum est, quod in célebri sancti Dionýsii templo asservátur et cólitur; caput vero in sacra æde sanctæ capéllæ. Ipse, clarus miráculis, a Bonifátio Papa octávo in Sanctórum númerum est relátus.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis.
Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 12-26

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum et revérti. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 8 in Lucam

Bonus ordo, ut vocatúrus gentes, et Judǽos jussúrus intérfici, qui noluérunt regnáre supra se Christum, hanc præmítteret comparatiónem, ne dicerétur : Nihil déderat pópulo Judæórum; unde póterat mélior fíeri? ut quid ab eo, qui nihil recépit, exígitur? Non mediócris ista est mna, quam supra múlier evangélica, quia non invénit, lucérnam accéndit, lúmine quærit admóto, gratulátur invéntam.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

Dénique ex una decem mnas álius fecit, álius quinque. Fortásse iste morália habet, quia quinque sunt córporis sensus; ille duplícia, id est, mýstica legis et morália probitátis. Unde et Matthǽus quinque talénta et duo talénta pósuit : in quinque taléntis, ut sint morália; in duóbus utrúmque, mýsticum atque morále. Ita quod número inférius, re ubérius.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Et hic póssumus decem mnas decem verba intellígere, id est, legis doctrínam; quinque autem mnas, magistéria disciplínæ. Sed legisperítum in ómnibus volo esse perféctum; non enim in sermóne, sed in virtúte est regnum Dei. Bene autem, quia de Judǽis dicit, duo soli multiplicátam pecúniam déferunt; non útique æris, sed dispensatiónis usúris. Alia est enim pecúniæ fǽnebris, ália doctrínæ cæléstis usúra.

Te Deum laudámus.

Oratio

Deus, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quǽsumus, méritis et intercessióne; Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes : Qui tecum vivit.

Ubi conceditur

DIE 9 SEPTEMBRIS

S. PETRI CLAVER
CONFESSORIS

III classis

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Petrus Claver Hispánus Verdúni natus, Societáti Jesu nomen dedit adoléscens móribus innocentíssimis. In Baleárium máxima a sancto Alfónso Ródriguez, qui multa de futúro ejus apostolátu divínitus accéperat, parátos sibi labóres edóctus est. Carthágine Nova in América Meridionáli sacerdótio auctus, Nigrítis turpi mercátu illuc abdúctis vitam suam, interpósita sacraménti fide, plane devóvit. In his autem fovéndis, nutriéndis, curándis, doctrína christiána imbuéndis et baptizándis dici vix potest quanta patiéntia et caritáte annos ámplius quadragínta insudáverit. Quamplúres a médicis desperátos súbito sanitáti restítuit, multis oculórum lúmine captis visum réddidit, tres a mórtuis excitávit. His excéllens méritis atque virtútibus heróicis annos expléverat quátuor et septuagínta, cum die natáli Deíparæ, quam tenérrimo colúerat afféctu, ad Cǽlites migrávit. Eum Leo décimus tértius Cǽlitum Sanctórum fastis adscrípsit atque Patrónum cæléstem peculiárem sacrárum ad Nigrítas missiónum constítuit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Deus, qui abréptos in servitútem Nigrítas ad agnitiónem tui nóminis vocatúrus, beátum Petrum mira in eis juvándis caritáte et patiéntia roborásti : ejus nobis intercessióne concéde; ut quæ Jesu Christi sunt quæréntes, próximos ópere et veritáte diligámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit com. S. Gorgonii Mart.

AD VESPERAS

℣. Justum, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Oratio ut supra.

In pluribus Diœc.

DIE 12 SEPTEMBRIS

Ssmi NOMINIS MARIÆ
TITULARIS
ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia de Comm. festorum B. Mariæ Virg., præter ea quæ hic habentur propria.

AD VESPERAS

Ad Magnif. Ant. Sancta María, * succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tui sancti Nóminis commemoratiónem.

Oratio

CONCÉDE, quǽsumus, omnípotens Deus : ut fidéles tui, qui sub sanctíssimæ Vírginis Maríæ Nómine et protectióne lætántur; ejus pia intercessióne, a cunctis malis liberéntur in terris, et ad gáudia ætérna perveníre mereántur in cælis. Per Dóminum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

Homil. 2 super Missus est, circa finem

Lectio iv

ET NOMEN, inquit, Vírginis María. Loquámur pauca, et super hoc nómine, quod interpretátum maris stella dícitur, et Matri Vírgini valde conveniénter aptátur. Ipsa namque aptíssime síderi comparátur, quia sicut sine sui corruptióne sidus suum emíttit rádium, sic absque sui læsióne Virgo parturívit Fílium. Nec síderi rádius suam mínuit claritátem, nec Vírgini Fílius suam integritátem. Ipsa est ígitur nóbilis illa stella ex Jacob orta, cujus rádius univérsum orbem illúminat, cujus splendor et præfúlget in supérnis, et ínferos pénetrat; terras étiam perlústrans, et calefáciens magis mentes quam córpora, fovet virtútes, éxcoquit vítia. Ipsa, inquam, est præclára et exímia stella super hoc mare magnum et spatiósum necessário subleváta, micans méritis, illústrans exémplis.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. Dedi.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

O QUISQUIS te intélligis in hujus sǽculi proflúvio magis inter procéllas et tempestátes fluctuáre, quam per terram ambuláre; ne avértas óculos a fulgóre hujus síderis, si non vis óbrui procéllis. Si insúrgant venti tentatiónum, si incúrras scópulos tribulatiónum, réspice stellam, voca Maríam. Si jactáris supérbiæ undis, si ambitiónis, si detractiónis, si æmulatiónis, réspice stellam, voca Maríam. Si iracúndia aut avarítia aut carnis illécebra navículam concússerit mentis, réspice ad Maríam. Si críminum immanitáte turbátus, consciéntiæ fœditáte confúsus, judícii horróre pertérritus, bárathro incípias absorbéri tristítiæ, desperatiónis abýsso, cógita Maríam.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Vidérunt eam.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

IN PERÍCULIS, in angústiis, in rebus dúbiis Maríam cógita, Maríam ínvoca. Non recédat ab ore, non recédat a corde; et, ut ímpetres ejus oratiónis suffrágium, non déseras conversatiónis exémplum. Ipsam sequens, non dévias; ipsam rogans, non despéras; ipsam cógitans, non erras; ipsa tenénte, non córruis; ipsa protégente, non métuis; ipsa duce, non fatigáris; ipsa propítia, pérvenis : et sic in temetípso experíris quam mérito dictum sit : Et nomen Vírginis María. — Quod quidem venerábile nomen, jamprídem in quibúsdam christiáni orbis pártibus speciáli ritu cultum, Innocéntius undécimus Románus Póntifex, ob insígnem victóriam sub ejúsdem Vírginis Maríæ præsídio de immaníssimo Turcárum tyránno, cervícibus pópuli christiáni insultánte, Viénnæ in Austria partam, et in perénne tanti benefícii monuméntum, in Ecclésia universáli síngulis annis celebrári præcépit.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes eam. Glória Patri. Unguéntum effúsum.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis.
Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 1, 26-38

In illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi

Sermo 142, de Annuntiat.

Audístis hódie, fratres caríssimi, Angelum cum mulíere de hóminis reparatióne tractántem. Audístis agi, ut homo cúrsibus eísdem, quibus dilápsus fúerat ad mortem, redíret ad vitam. Agit, agit cum María Angelus de salúte, quia cum Heva ángelus égerat de ruína. Audístis Angelum de carnis nostræ limo templum divínæ majestátis arte ineffábili construéntem. Audístis in terris Deum, in cælis hóminem sacraménto incomprehensíbili collocári. Audístis inaudíta ratióne in uno córpore Deum hominémque miscéri. Audístis frágilem nostræ carnis natúram ad portándam totam Deitátis glóriam angélica exhortatióne roborári.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto feníneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tui sancti Nóminis commemoratiónem. Quia.

Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Lectio viii

Déinque, ne tanto póndere cæléstis fábricæ in María subtílis nostri córporis aréna succúmberet, et in Vírgine totíus géneris humáni portatúra fructum, virga ténuis frangerétur; fugatúra metum vox Angeli mox præcéssit, dicens : Ne tímeas, María. Ante causam dígnitas Vírginis annuntiátur ex nómine; nam María Hebrǽo sermóne, Latíne Dómina nuncupátur. Vocat ergo Angelus Dóminam, ut Dominatóris Genitrícem trepidátio déserat servitútis, quam nasci et vocári Dóminam ipsa sui Gérminis fecit et impetrávit auctóritas. Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam. Verum est, quia, qui invénit grátiam, nescit timére : Invenísti grátiam.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes : * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia. Glória Patri. Quia.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Beáta, quæ inter hómines audíre sola méruit præ ómnibus : Invenísti grátiam. Quantam? Quantam supérius díxerat : plenam. Et vere plenam, quæ largo imbre totam fúnderet et infúnderet creatúram : Invenísti enim grátiam apud Deum. Hæc cum dicit, et ipse Angelus mirátur, aut féminam tantum, aut omnes hómines vitam meruísse per féminam : stupet Angelus totum Deum veníre intra virginális úteri angústias, cui tota simul angústa est creatúra. Hinc est quod remorátur Angelus, hinc est quod vírginem vocat de mérito, de grátia compéllat, vix causam prodit audiénti, sane ut sensum promóveat, vix longa trepidatióne compónit.

Te Deum laudámus.

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus : ut fidéles tui, qui sub sanctíssimæ Vírginis Maríæ Nómine et protectióne lætántur; ejus pia intercessióne, a cunctis malis liberéntur in terris, et ad gáudia ætérna perveníre mereántur in cælis. Per.

DIE 26 SEPTEMBRIS

Ss. JOANNIS DE BRÉBEUF, ISAACI JOGUES et SOC.

MARTYRUM

II classis

Omnia de Comm. plur. Mm. præter seq.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Ex iis Societátis Jesu sodálibus, qui Ecclésiæ in América Boreáli

exórdia médio sǽculo décimo séptimo máxime illustrárunt, octo puríssimas hóstias sibi elégit Deus, ut fídei sémina eárum sánguine irrigáta in uberióres ségetes deínde succréscerent. Omnes hi Mártyres, in Gállia nati et, præter duos láicos, sacerdótio aucti, in Missiónem Canadénsem, quæ Novæ Gálliæ tunc vocabátur, a Superióribus missi, post innúmeros ex urbe Quebecénsi per várias illas imménsas regiónes apostólicos excúrsus asperimósque labóres, ob unam eamdémque religiónis causam, etsi non uno eodémque témpore nec loco, crudelíssime necáti sunt. Horum véluti duces ac magístri mérito censéntur Joánnes de Brébeuf, Condǽi in diœcési Bajocénsi nunc Constantiénsi nóbili génere ortus, et Isaácus Jogues, Aurelianénsis, viri strénuo et apostólico zelo incénsi, mortificatióni máxime déditi, cum Deo in oratióne conjunctíssimi, cæléstibus étiam visiónibus quandóque illustráti. Ab iis haud absímiles erant quátuor sócii sacerdótes Antónius Daniel, Dieppénsis, Gábriel Lalemant et Cárolus Garnier, Parisiénses, Natális Chabanel, Mimaténsis; qui omnes váriis in pagis, potíssimum inter Hurónes, sacris munéribus fungebántur.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis ut inveniréntur illǽsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Frequéntes finitimórum Iroquénsium incursiónes, Hurónicam missiónem sæpe vastántes, haud raro in suprémum discrímen Patrum vitam vocábant. Anno millésimo sexcentésimo quadragésimo secúndo, Isaácus Jogues, cum Renáto Goupil, Societátis Jesu coadjutóre temporáli, ex urbe Quebecénsi ad Hurónes iter fáciens, in Iroquénses íncidit, qui eum ejúsque sócium diríssime

torquent et in servitútem rédigunt. Eódem anno die vigésima nona Septémbris, Renátus, in ódium salutíferæ crucis a bárbaro sene intérfici jussus, prope Auriesville, in hodiérno Neo-Eboracénsi Statu, candidíssimam ánimam efflávit. Isaácus anno próximo, aufugiéndi occasiónem nactus, in Gálliam revértit; sed post annum, Américam répetens et semel atque íterum ad eósdem bárbaros, suos olim carnífices, cum Joánne de la Lande, Societátis Jesu item coadjutóre, progréssus, die décima octáva Octóbris anno millésimo sexcentésimo quadragésimo sexto, in hodiérna diœcési Albanénsi, acínace percússus, martýrii palmam consecútus est. Póstero vero die ejus sócius Joánnes, eádem redimítus coróna, ad cælum evolávit.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Anno millésimo sexcentésimo quadragésimo octávo, die quarta Július, Antónius Daniel, qui pagi Sancti Joseph inter Hurónes curam gerébat, contra invasóres Iroquénses gregem suum impávidus deféndens, sagíttis et ignítis glándibus confóssus, ad templi fores bonus pastor pro óvibus ánimam pósuit. Anno próximo, die décima sexta Mártii, Joánnes de Brébeuf, Hurónum apóstolus mérito nuncupátus, una cum Gabriéle Lalemant, ab Iroquénsibus comprehénsus, post diutúrnos sævissimósque cruciátus, ipsis bárbaris invíctam Christi púgilis fortitúdinem demirántibus, in pago Sancti Ignátii in hodiérna Canadénsi regióne Ontario nuncupáta, gloriósus occúbuit; quem postrídie Gábriel Lalemant eádem cruénta via eadémque virtúte secútus est. Mense autem Decémbri ejúsdem anni millésimi sexcentésimi quadragésimi noni, in pervigílio Immaculátæ Conceptiónis beátæ Maríæ

Vírginis, Cárolus Garnier, vulnéribus confóssus et secúri percússus, innocentíssimam vitam glorióso éxitu conclúsit. Póstero demum die, Natális Chabanel, ab Huróne apóstata dolóse invásus et in profluéntem dejéctus, in dilécta sibi Missióne, cui perpétuo coléndæ, natúra frustra obsisténte, heróico voto se obstrínxerat, optátam martýrii palmam adéptus est. Hos octo Américæ Boreális primóres Mártyres Pius undécimus Póntifex máximus, anno sacro millésimo nongentésimo vigésimo quinto, Beatórum número, eósque quinque post annos Sanctórum fastis adscrípsit.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos; et in témpore erit respéctus illórum, * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 5, 17-23

In illo témpore : Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judǽa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Canísii Presbýteri

Notæ in Evang. Lect. : in die festo omn. Sanctorum, post init.

Notábo Christum longe áliter quam hunc mundum, de beatitúdine docére atque pronuntiáre. Mundi étenim est próprium rebus cadúcis et fluxis, quæ hic relinquéndæ sunt, metíri hómini felicitátem, períndе ac si dicátur : Beátus pópulus, cui hæc sunt. Immo vero quos Christus beátos hic pronúntiat, eos insípiens mundus tantum pro míseris et infelícibus ducit, eósdem de more contémnit atque aversátur, ut hinc étiam Christus ipse testétur Apóstolis : Amen, amen dico vobis, quia plorábitis et flébitis vos; mundus autem gaudébit, vos autem contristabímini. Rectéque dixit Sálomon : Ambulans recto itínere et timens Deum, despícitur ab eo qui infámi gráditur via.

℟. Propter testaméntum Dómini et leges patérnas, Sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! Quia.

Bened. Quorum festum.

Lectio viii

Beáti demum sunt qui persecutiónem propter justítiam patiúntur, suáque invícta patiéntia Christi regnum ætérnum óbtinent. Ad hoc genus beatitúdinis, nulli magis quam protomártyr Stéphanus alíique fortíssimi Christi mílites ac mártyres referéndi sunt : quóniam velut oves ad occisiónem pertráctæ, ad sánguinem usque pro justítia christiána certárunt, nulla ut hóstium vis atque barbáries, nulla tribulatiónis vel tentatiónis acérbitas eos a fídei confessióne, Christi caritáte, doctrína Ecclésiæ et justítiæ trámite potúerit abdúcere ac separáre. O felíces illi qui bona testári consciéntia potuérunt : Quis nos separábit a caritáte Christi? Tribulátio? an angústia? an fames? an núditas? an perículum? an persecútio? an gládius? In his ómnibus superámus propter eum qui diléxit nos. Transívimus per ignem et aquam, et eduxísti nos in refrigérium.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti certámen habuístis : * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum. Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Prætérea felíces omnes qui hanc scalam Jacob, superióribus grádibus octo distínctam, in hunc usque diem ascéndunt, relíctis ómnibus impediméntis, ita ut capitáles

hostes, mundum, carnem ac sátanam, quotídie vincant, sibíque virtútum stúdio gradum fáciant ad beátam immortalitátem. Verum longe felicióres et illi, qui pugnándi et vincéndi fecére finem, et, ipso ascendéndi labóre confécto, ad certáminis corónam pervenérunt jamque, véluti rude donáti et emériti mílites, quiéte summa potiúntur, et in cæléşti tabernáculo hábitant, mercéde amplíssima cumuláti. Nec dúbium quin sancti Mártyres píique Doctóres præ céteris florébunt eléctis in perpétuas æternitátes, quóniam ob virtútes heróicas auréolam, sicut Theólogi vocant, et excelléntem láuream peculiári privilégio consequéntur.

Te Deum laudámus.

Oratio

Deus, qui primítias fídei in boreálibus Américæ regiónibus sanctórum Mártyrum tuórum Joánnis, Isaáci eorúmque Sociórum prædicatióne et sánguine consecrásti : concéde propítius; ut, eórum intercessióne, flórida Christianórum seges ubíque in dies augeátur. Per Dóminum.

Ad Laudes fit com. Ss. Cypriani et Justinæ Virg., Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Beatórum Mártyrum Cypriáni et Justínæ nos, Dómine, fóveant continuáta præsídia : quia non désinis propítius intuéri, quos tálibus auxíliis concésseris adjuvári. Per Dóminum.

In Cathedr. Torontin. et Scherbrook

DIE 29 SEPTEMBRIS

IN DEDICATIONE S. MICHAELIS

ARCHANGELI TITULARIS ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia ut in Brev.

In Diœc. Trifluvian.

DIE 30 SEPTEMBRIS

DEDICATIO ECCLES. CATHEDR.

I classis

Officium de Communi Dedicationis Ecclesiæ.

In Cathedr. S. Hieronymi

DIE 30 SEPTEMBRIS

SANCTI HIERONYMI

PRESB., CONF. ET ECCL. DOCTORIS TITUL. ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia de Communi Doctorum præter seq.

Oratio

Deus, qui Ecclésiæ tuæ in exponéndis sacris Scriptúris beátum Hierónymum, Confessórem tuum, Doctórem máximum providére dignátus es : præsta, quǽsumus; ut ejus suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte, exercére valeámus. Per.

In I Nocturno, lectiones Sapiéntiam.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Hierónymus, Eusébii fílius, Stridóne in Dalmátia, Constántio imperatóre, natus, Romæ adoléscens est baptizátus, et in liberálibus disciplínis a Donáto et áliis viris doctíssimis erudítus. Tum discéndi stúdio Gálliam peragrávit; ubi pios áliquot et in divínis lítteris erudítos viros cóluit, multósque sacros libros sua manu descrípsit. Mox, se in Grǽciam cónferens, philosophía et eloquéntia instrúctus, summórum theologórum consuetúdine flóruit. In primis vero, Gregório Nazianzéno Constantinópoli óperam dedit; quo doctóre se sacras lítteras didicísse profitétur. Tum religiónis causa visit Christi Dómini incunábula, totámque lustrávit Palæstínam; quam peregrinatiónem, adhíbitis Hebræórum eruditíssimis, ad sacræ Scriptúræ intelligéntiam sibi multum profuísse testátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

DEÍNDE secéssit in vastam Sýriæ solitúdinem; ubi quadriénnium in lectióne divinórum librórum cælestísque beatitúdinis contemplatióne consúmpsit, assídua se abstinéntia, vi lacrimárum et córporis afflictióne discrúcians. Présbyter a Paulíno epíscopo Antiochíæ factus, Romam de controvérsiis quorúmdam episcopórum cum Paulíno et Epiphánio ad Dámasum Pontíficem proféctus, ejus ecclesiásticis epístolis scribéndis adjútor fuit. Verum, cum prístinæ solitúdinis desidério tenerétur, in Palæstínam revérsus, Béthlehem ad Christi Dómini præsépe, in monastério quod a Paula Romána exstrúctum erat, cæléstem quamdam vitæ ratiónem instítuit; et, quamquam várie morbis doloribúsque tentarétur, tamen córporis incómmoda piis labóribus et perpétua lectióne ac scriptióne superábat.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loríćam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

TAMQUAM ad oráculum, ex ómnibus orbis terræ pártibus, ad ipsum divínæ Scriptúræ quæstiónes explicándæ referebántur. Illum Dámasus Póntifex, illum sanctus Augustínus de locis Scriptúræ difficillímis sæpe consúluit, propter ejus singulárem doctrínam, et linguæ non solum Latínæ et Græcæ, sed Hebráicæ étiam et Chaldáicæ, intelligéntiam; et quod omnes pene scriptóres, ejúsdem Augustíni testimónio, légerat. Hæréticos acérrimis scriptis exagitávit; piórum et catholicórum patrocínium semper suscépit. Vetus Testaméntum ex Hebræo convértit; novum, jussu Dámasi, Græcæ fídei réddidit, magna étiam ex parte explicávit. Multa prætérea Latíne réddidit scripta doctórum virórum, et ipse áliis próprii ingénii monuméntis christiánam disciplínam illustrávit. Qui, ad summam senectútem pervéniens, sanctitáte et doctrína illústris, Honório imperatóre, migrávit in cælum. Cujus corpus, ad Béthlehem sepúltum, póstea Romam in basílicam sanctæ Maríæ ad Præsépe translátum est.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória. Quia.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis.
Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 5, 13-19

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri
Lib. i Comment. in c. 5 Matth.

SAL appellántur Apóstoli et Doctóres; quia per illos univérsum hóminum condítur genus. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Si doctor erráverit, a quo álio doctóre emendábitur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Exémplum de agricultúra sumptum est. Sal étenim, sicut in cibórum condiméntum et ad siccándas carnes necessárium est, ita álium usum non habet. Certe légimus in Scriptúris urbes quasdam, ira victórum, sale seminátas, ut nullum in ipsis germen orirétur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

CÁVEANT ergo doctóres et epíscopi, et vídeant poténtes poténter torménta sustinére; nihílque esse remédii, sed majórum ruínam ad tártarum dúcere. Vos estis lux

mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita; neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Docet fidúciam prædicándi, ne Apóstoli abscondántur ob metum, et sint símiles lucérnæ sub módio; sed tota libertáte se prodant, ut, quod audiérunt in cubículis, prædicent in tectis.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus. ℣. Jucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum. Et. Glória Patri. Et.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Nolíte putáre quóniam veni sólvere legem aut prophétas; non veni sólvere, sed adimplére. Sive quod de se per álios prophetáta compléverit, sive quod ea, quæ ante propter infirmitátem audiéntium rúdia et imperfécta fúerant, sua prædicatióne compléverit, iram tollens et vicem taliónis exclúdens et occúltam in mente concupiscéntiam damnans. Donec tránseat cælum et terra. Promittúntur nobis cæli novi et terra nova, quæ factúrus est Dóminus Deus. Si ergo nova creánda sunt, consequénter vétera transitúra.

Te Deum laudámus.

Oratio

Deus, qui Ecclésiæ tuæ in exponéndis sacris Scriptúris beátum Hierónymum, Confessórem tuum, Doctórem máximum providére dignátus es : præsta, quǽsumus; ut, ejus suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte, exercére valeámus. Per Dóminum.

In Vic. Ap. Grouard
et in locis Missionum

DIE 3 OCTOBRIS

SANCTÆ TERESIÆ A JESU INFANTE

VIRG., PATRONÆ PRINCIP. MISSIONUM

I classis

Omnia de Communi Virg., præter seq.

Oratio

Dómine, qui dixísti : Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in

regnum cælórum : da nobis, quǽsumus; ita sanctæ Terésiæ Vírginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári, ut prǽmia consequámur ætérna : Qui vivis.

In I Nocturno lectiones De virgínibus, 1o loco.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus pietas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Terésia a Jesu Infánte, Alensónii in Gállia, honéstis paréntibus, singulári et assídua erga Deum pietáte conspícuis, orta est. Inde a prima ætáte, divíno Spíritu prævénta, religiósam vitam ágere cupiébat. Sério autem promísit, se nihil Deo denegatúram, quod ipse ab ea pétere viderétur : quam promissiónem fidéliter usque ad mortem serváre satégit. Quinto ætátis anno, matre amíssa, Dei providéntiæ se totam commísit, sub vigilánti custódia amantíssimi patris, sororúmque natu majórum : quibus magístris, Terésia ad curréndam perfectiónis viam ut gigas exsultávit. Novénnis virgínibus ex órdine sancti Benedícti Lexóviis excolénda tráditur, ibíque in rerum divinárum cognitióne excéllere visa est. Décimo ætátis anno, arcánus et gravis morbus eam diu cruciávit, a quo, prout ipsa enárrat, ope beatíssimæ Vírginis, quæ eídem subrídens appáruit, et quam, sub título Dóminæ nostræ a Victória, per novendiália invocáre stúduit, divínitus fuit liberáta. Tunc, angélico fervóre repléta, ad sacrum convívium, in quo Christus súmitur, se diligentíssime præparáre curávit.

℟. Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Ut prímitus eucharístico pane fuit refécta, insatiábilem cæléstis hujus cibi famem hauríre visa est : unde, velut inspiráta, Jesum rogábat, ut omnem mundánam consolatiónem in amaritúdinem sibi vérteret. Inde tenérrimo in Christum

Dóminum et in Ecclésiam amóre exæstuans, nihil antíquius hábuit, quam Carmelitárum Excalceatórum órdinem íngredi, ut sui abnegatióne, suísque sacrifíciis, sacerdótibus, missionáriis, totíque Ecclésiæ opem afférret, et innúmeras ánimas Christo Jesu lucrifáceret: quod, jam morti próxima, apud Deum se factúram pollícita est. Propter ætátis deféctum, multas ad religiósam vitam amplecténdam nacta est difficultátes, quibus tamen incredíbili ánimi fortitúdine superátis, quíndecim annos nata, Lexoviénsem Carmélum felíciter ingréssa est. Ibi mirábiles Deus in Terésiæ corde ascensiónes dispósuit, quæ, Maríæ Vírginis vitam abscónditam imitáta, quasi hortus irríguus, flores ómnium virtútum germinávit, præcípue vero exímiæ in Deum et in próximum caritátis.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Quo magis Altíssimo placéret, cum in Sacris Scriptúris mónitum illud legísset: Si quis est párvulus, véniat ad me; párvula in spíritu esse vóluit, et inde filiáli fidúcia Deo, tamquam Patri amantíssimo, se perpétuo trádidit. Hanc spirituális infántiæ viam, secúndum Evangélii doctrínam, álios dócuit, speciátim novítias, quas ex obediéntia ad religiosárum virtútum stúdium informándas suscépit, atque ita apostólico zelo repléta, mundo supérbia infláto et vanitátes diligénti, evangélicæ simplicitátis iter patefécit. Sponsus autem Jesus eam patiéndi desidério, tam in ánima, quam in córpore, pénitus inflammávit. Insuper Dei caritátem undequáque negléctam animadvértens, summo dolóre affécta, duóbus ante óbitum annis, Dei miseréntis amóri se víctimam óbtulit. Tunc, ut ipsa refert, cæléstis ignis flamma vulneráta est: unde caritáte consúmpta, in éxtasim rapta, ferventíssime ingéminans: Deus meus, te

díligo, vigínti quátuor annos nata, die trigésima Septémbris, anno millésimo octingentésimo nonagésimo séptimo, ad Sponsum evolávit. Quod autem móriens promíserat, se perénnem rosárum plúviam in terram demissúram, hoc, in cælum recépta, innúmeris miráculis reápse adimplévit et in dies adímplet. Quam Pius undécimus, Póntifex máximus, beátis Virgínibus adscríptam, et biénnio post, jubilǽo máximo recurrénte, inter Sanctas relátam, peculiárem ómnium Missiónum Patrónam constítuit ac declarávit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis.
Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 18, 1-4

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno cælórum? Et réliqua.

Homilía sancti Leónis Papæ

Sermo 37 in Epiphaniæ solemn. 7, cap. 3-4

Tota dilectíssimi, christiánæ sapiéntiæ disciplína, non in abundántia verbi, non in astútia disputándi, neque in appetítu laudis et glóriæ, sed in vera et voluntária humilitáte consístit, quam Dóminus Jesus Christus ab útero matris usque ad supplícium crucis pro omni fortitúdine et elégit et dócuit. Nam, cum discípuli ejus inter se, ut ait Evangelísta, disquírerent quis eórum major esset in regno cælórum, vocávit párvulum, et státuit eum in médio eórum, et dixit: Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut puer iste, hic major erit in regno cælórum. Amat Christus infántiam, quam primum et ánimo suscépit et córpore, Amat Christus infántiam, humilitátis magístram, innocéntiæ régulam,

mansuetúdinis formam. Amat Christus infántiam, ad quam majórum dírigit mores, ad quam senum redúcit ætátes; et eos ad suum inclínat exémplum, quod ad regnum sublímat ætérnum.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus súmpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Et.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

Ut autem plene valeámus agnóscere quómodo apprehéndi possit tam mira convérsio et in puerílem gradum qua nobis mutatióne redeúndum sit, dóceat nos beátus Paulus, et dicat : Nolíte púeri éffici sénsibus, sed malítia párvuli estóte. Non ergo ad lúdicra infántiæ et imperfécta nobis primórdia reverténdum est, sed áliquid, étiam graves annos déceat, inde suméndum, ut velox sit commotiónum tránsitus, citus ad pacem recúrsus : nulla sit memória offensiónis, nulla cupíditas dignitátis : amor sóciæ communiónis, æquálitas naturális. Magnum enim bonum est nocére non nosse et malígna non sápere; quia inférre ac reférre injúriam, mundi hujus prudéntia est; némini autem malum pro malo réddere, christiánæ est æquanimitátis infántia.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lampádes. Ecce. Glória Patri. Ecce.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Ad hanc vos, dilectíssimi, similitúdinem parvulórum mystérium hodiérnæ festivitátis invítat; et hanc vobis humilitátis formam adorátus a Magis puer Salvátor insínuat : qui, ut imitatóribus suis quid glóriæ paráret, osténderet, ortus sui témpore éditos martýrio consecrávit; ut in Béthlehem, ubi Christus natus est, géniti, per conmmuniónem ætátis consórtes fíerent passiónis. Amétur ígitur humílitas, et omnis a fidélibus vitétur elátio. Alter álterum sibi præferat, et nemo quod suum est quærat, sed quod altérius; ut, cum in ómnibus abundáverit affectus benevoléntiæ, in nullo virus inveniátur invídiæ : quóniam qui se exáltat, humiliábitur, et qui se humíliat, exaltábitur eódem ipso testánte Jesu Christo Dómino nostro, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat Deus in sǽcula sæculórum. Amen.

Te Deum laudámus.

Oratio

Dómine, qui dixísti : Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum : da nobis, quǽsumus; ita sanctæ Terésiæ Vírginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári, ut prǽmia consequámur ætérna : Qui vivis.

In Cathedr. Vancouver. et Reginaten.

DIE 7 OCTOBRIS

B. MARIÆ VIRG. A ROSARIO

TITULARIS

ECCL. CATHEDR.

I classis

Officium ut in Brev.

In Cathedr. Amosen.

DIE 15 OCTOBRIS

SANCTÆ TERESIÆ

VIRGINIS

TITULARIS

ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia de Communi Virg., præter seq.

AD I VESPERAS

Hymnus

Regis supérni núntia,
Domum patérnam déseris,
Terris, Terésa, bárbaris
Christum datúra aut sánguinem.

Sed te manet suávior
Mors, pœna poscit dúlcior :
Divíni amóris cúspide
In vulnus icta cóncides.

O caritátis víctima!
Tu corda nostra cóncrema,
Tibíque gentes créditas
Avérni ab igne líbera.

Sit laus Patri cum Fílio
Et Spíritu Paráclito,
Tibíque, sancta Trínitas,
Nunc et per omne sǽculum. Amen.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Terésiæ

Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita cæléstis ejus doctrínæ pábulo nutriámur, et piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte adorémus.

Hymnus Regis supérni, ut supra in I Vesp. 53

In I Nocturno, lectiones De virgínibus, 1º loco.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Terésia Virgo nata est Abulæ in Hispánia paréntibus tum génere tum pietáte præcláris. Ab iis divíni timóris lacte educáta, admirándum futúræ sanctitátis in teneríma adhuc ætáte spécimen dedit. Nam, cum sanctórum Mártyrum acta perlégeret, ádeo in ejus meditatióne Sancti Spíritus ignis exársit, ut, domo aufúgiens, in Africam trajíceret, ubi vitam pro glória Jesu Christi et animárum salúte profúnderet. A pátruo revocáta, ardens martýrii desidérium eleemósynis aliísque piis opéribus compensávit, júgibus lácrimis deplórans óptimam sibi sortem fuísse præréptam. Mórtua matre, cum a beatíssima Vírgine péteret ut se matrem esse monstráret, pii voti compos effécta est; semper perínde ac fília patrocínio Deíparæ pérfruens. Vigésimum ætátis annum agens, ad moniáles sanctæ Maríæ de Monte Carmélo se cóntulit. Ibi, per duodevigínti annos gravíssimis morbis et váriis tentatiónibus vexáta, constantíssime méruit in castris christiánæ pœniténtiæ, nullo refécta pábulo cæléstium eárum consolatiónum, quibus solet étiam in terris sánctitas abundáre.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Angélicis ditáta virtútibus, non modo própriam, sed públicam étiam salútem sollícita caritáte curávit. Quare severiórem véterum Carmelitárum régulam, Deo afflánte et Pio quarto approbánte, primum muliéribus, deínde viris observándam propósuit. Efflóruit in eo consílio omnípotens miseréntis Dómini benedíctio; nam duo supra trigínta monastéria inops virgo pótuit ædificáre, ómnibus humánis destitúta auxíliis, quinímmo adversántibus plerúmque sǽculi princípibus. Infidélium et hæreticórum ténebras perpétuis deflébat lácrimis, atque, ad placándam divínæ ultiónis iram, voluntários próprii córporis cruciátus Deo pro eórum salúte dicábat. Tanto autem divíni amóris incéndio cor ejus conflagrávit, ut mérito víderit Angelum ignito jáculo sibi præcórdia transverberántem, et audíerit Christum, data déxtera, dicéntem sibi : Deínceps, ut vera sponsa, meum zelábis honórem. Eo consiliánte, máxime árduum votum emísit . efficiéndi semper quidquid perféctius esse intellígeret. Multa cæléstis sapiéntiæ documénta conscrípsit, quibus fidélium mentes ad supérnæ pátriæ desidérium máxime excitántur.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Cum autem assídua éderet exémpla virtútum, tam ánxio castigándi córporis desidério æstuábat, ut, quamvis secus suadérent morbi quibus affligebátur, corpus cilíciis, caténis, urticárum manípulis aliísque aspérrimis flagéllis sæpe cruciáret, et aliquándo inter spinas volutáret, sic Deum álloqui sólita : Dómine, aut pati aut mori : se semper misérrima morte pereúntem exístimans, quámdiu a cælésti ætérnæ vitæ fonte abésset. Prophetíæ dono excélluit, eámque divínis charismátibus tam liberáliter locupletábat Dóminus, ut sǽpius exclámans péteret benefíciis in se di-

vínis modum impóni, nec tam céleri oblivióne culpárum suárum memóriam aboléri. Intolerábili ígitur divíni amóris incéndio pótius quam vi morbi, Albæ cum decúmberet, prænuntiáto suæ mortis die, ecclesiásticis sacraméntis muníta, alúmnos ad pacem, caritátem et reguláarem observántiam adhortáta, sub colúmbæ spécie puríssimam ánimam Deo réddidit, annos nata sexagínta septem, anno millésimo quingentésimo octogésimo secúndo, Idibus Octóbris, juxta Kalendárii Románi emendatiónem. Ei moriénti adésse visus est inter Angelórum ágmina Christus Jesus; et arbor árida, cellæ próxima, statim efflóruit. Ejus corpus, usque ad hanc diem incorrúptum, odoráto liquóre circumfúsum pia veneratióne cólitur. Miráculis cláruit ante et post óbitum, eámque Gregórius décimus quintus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Noct. homilia in Evang. Símile erit, de Comm. Virg. 1° loco.

Ad Laudes et ad alias Horas, ut in Brev.

Ubi conceditur

DIE 16 OCTOBRIS

BEATÆ MARIÆ MARGARITÆ D'YOUVILLE

VIDUÆ

III classis

In Instituto : II classis

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

MARÍA Margaríta Dufrost de Lajemmerais, Canadénsi in urbe « Varennes », anno millésimo septingentésimo primo orta, patre immatúre orbáta est. Vigésimum autem et unum agens annum, Francísco d'Youville nupsit, cui sex péperit líberos atque summa sui ipsíus abnegatióne lugéndas inter ærúmnas fidéliter semper ádfuit. Ætáte vero adhuc florens viduáta atque quátuor orbáta líberis, christiánæ institutióni duórum supérstitum pauperúmque servítio totam se dedit, ténui mercatúra necessária ad vitam sibi cómparans. Piis dein muliéribus sibi adjúnctis conditáque, anno millésimo septingentésimo trigésimo séptimo Marianopolitána in urbe, nova Sodalitáte religiósa Sorórum a Caritáte, tales pro infírmis et paupéribus cujúsvis ætátis, sexus et géneris exantlávit labóres, ut « Mater caritátis universális » merúerit vocári. Religiósam famíliam, cujus cónditrix éxstitit et magístra, in umbra semper humíllima delitéscens, mirabíliter fovit et propagávit, ut indigéntibus ubíque opitularétur. Ætérnum Patrem ejúsque divínam Providéntiam, sacratíssimum Cor Jesu, beátam Maríam Vírginem Immaculátam ejúsque Sponsum sanctum Joseph singulári prorsus excóluit pietáte; Ecclésiæ ut fília obsequentíssima semper páruit. Tot dénique labóribus consúmpta, in pervígilio Nativitátis Dómini anno millésimo septingentésimo septuagésimo primo, ad Deum, cujus misericórdiæ fúerat núntia et adminístra, plácide evolávit. Quam sanctitáte, charismátibus et miráculis præcláram Jóannes Papa vigésimus tértius in Beatórum album solémni ritu adscrípsit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Date ei * de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Oratio

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui beátam Maríam Margarítam per omnes sémitas ad Crucis imitatiónem mirabíliter vocásti, ac per illam caritátis igne flagrántem novam in Ecclésia tua famíliam floréscere voluísti : concéde propítius, ut ejúsdem caritátis et patiéntiæ vestígia sectántes, prǽmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

Et fit com. S. Hedwigis Viduæ :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quæénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Deus, qui beátam Hedwígem a sǽculi pompa ad húmilem tuæ Crucis sequélam toto corde transíre docuísti : concéde; ut ejus méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ Crucis ómnia nobis adversántia superáre : Qui vivis et regnas.

AD VESPERAS

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. Ant. Manum suam * apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, qui beátam Maríam Margarítam per omnes sémitas ad Crucis imitatiónem mirabíliter vocásti, ac per illam caritátis igne flagrántem novam in Ecclésia tua famíliam floréscere voluísti : concéde propítius, ut ejúsdem caritátis et patiéntiæ vestígia sectántes, prǽmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

In Diœc. Quebecen. et Sanctæ-Annæ

DIE 22 OCTOBRIS

DEDICATIO ECCLESIARUM CONSECRATARUM

I classis

Officium de Communi Dedicationis Ecclesiæ, ut in Brev.

In Cathedr. Joliett.

DIE 4 NOVEMBRIS

SANCTI CAROLI

EP. ET CONF.
TITULARIS
ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia de Communi Confessoris Pontificis præter sequentia.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, sancti Cároli Confessóris tui atque Pontíficis contínua protectióne custódi : ut, sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit; ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre fervéntes. Per Dóminum.

In I Nocturno lectiones Fidélis sermo, 1° loco.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Carólus, Medioláni nóbili Borromæórum família natus, quanta futúrus esset sanctitáte conspícuus, divína lux super pariéntis matris cubículum noctu corúscans præsignávit. A puerítia clericáli milítiæ adscríptus, abbatía póstmodum insignítus, patrem admónuit ne réditus in rem familiárem converteréntur; quorum ipse nactus administratiónem, quidquid supérerat, expendébat in páuperes. Adoléscens liberálibus disciplínis Papíæ óperam dedit. Castitátem ádeo cóluit, ut impudícas étiam mulíeres, ad labefactándam ejus pudicítiam plúries immíssas, invícta constántia fugáverit. Vigésimum tértium ætátis annum agens, a Pio quarto ejus avúnculo in sacrum cardinálium collégium cooptátus, insígni pietátis ac virtútum ómnium splendóre prælúxit. Mox ab eódem Mediolanénsis archiepíscopus creátus, in eo plúrimam óperam adhíbuit, ut, juxta sacrosánctum Tridentínum concílium, quod ejus potíssimum sollicitúdine jam tum fúerat absolútum, ecclésiam sibi commíssam compóneret; atque, ut depravátos plebis suæ mores reformáret, præter iterátam sǽpius synodórum celebratiónem, seípsum exímiæ sanctitátis præbuit exémplar. In profligándis hæréticis e pártibus Rhætórum et Helvetiórum, quorum plúrimos ad christiánam fidem convértit, máxime laborávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Hujus viri cáritas præcípue enítuit, cum, Uritáno principátu véndito, prétium univérsum, ad quadragínta aureórum míllia, una die in páuperes erogávit. Nec minóre pietáte vigínti míllia, quæ sibi fúerant legáta, distríbuit. Ecclesiásticos provéntus, quibus ab avúnculo copióse fúerat cumulátus, dimísit, nonnúllis reténtis, quibus ad próprios usus et egenórum necessitátes utebátur. Quo témpore pestis Mediolàni grassabátur, domésticam supelléctilem, ne relícto sibi léctulo, in eósdem aléndos cóntulit, super nuda in pósterum tábula decúmbens; eóque morbo laborántes sédulo invísens, patérno reficiébat afféctu, et Ecclésiæ sacraménta própriis ipse mánibus administrans, mirum in modum solabátur. Humíllimis ínterim précibus reconciliátor accédens, pública supplicatióne indícta, fune sibi ad collum alligáto, nudis pédibus étiam offendículo cruentátis, crucem bájulans, semetípsum pro peccátis pópuli hóstiam ófferens, divínam indignatiónem avértere satagébat. Ecclesiásticæ libertátis fuit acérrimus propugnátor. Disciplínæ vero restituéndæ sollícitus, a seditiósis, dum oratióni insísteret, torménti béllici laxáta rota, ígneo glóbulo percússus, divína virtúte servátur illæsus.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Bened. Ignem suis amóris.

Lectio vi

Abstinéntia fuit admirábili; jejunábat sæpíssime, pane tantum et aqua, solis quandóque lupínis conténtus. Noctúrnis vigíliis, aspérrimo cilício, assíduis flagéllis corpus domábat. Humilitátis ac mansuetúdinis studiosíssimus fuit. Oratiónem ac verbi Dei prædicatiónem, gravíssimis licet curis occupátus, numquam intermísit. Multas ecclésias, monastéria, collégia ædificávit. Plura scripsit, ad episcopórum præsértim instructiónem utilíssima; cujus étiam ópera parochórum catechísmus pródiit. Demum, in solitúdinem Varálli montis, ubi sculptis imagínibus Domínicæ passiónis mystéria ad vivum repræsentántur, secéssit; ibíque, diébus áliquot voluntária castigatióne ásperam, sed Christi dolórum meditatiónibus suávem vitam ducens, in febrim íncidit. Mediolánum revérsus, ingravescénte morbo, cínere ac cilício coopértus, et óculis in Crucifíxi imáginem defíxis, migrávit in cælum, ætátis anno quadragésimo séptimo, Dómini vero millésimo quingentésimo octogésimo quarto, tértio Nonas Novémbris. Quem, miráculis clarum, Paulus quintus Póntifex máximus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. homilia in Evang. Homo péregre, de Comm. Conf. Pont. 1° loco.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, sancti Cároli Confessóris tui atque Pontíficis contínua protectióne custódi : ut, sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit; ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre ferventes. Per Dóminum.

DIE 5 NOVEMBRIS

SACRARUM RELIQUIARUM

QUÆ IN ECCLESIIS ASSERVANTUR

III classis

Omnia de Communi plurim. Mm., et de Psalterio, præter seq.

Bened. Ad societátem.

Ex Tractátu sancti Joánnis Damascéni de fide orthodóxa
Lib. 4, cap. 15

Lectio iii

Christus Dóminus Sanctórum relíquias velut salutáres fontes præbuit, ex quibus plúrima ad nos benefícia manant, suavissimúmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam his fidem

détrahat. Nam si aqua in desérto ex dura et áspera rupe, atque ex ásini maxílla, ad sedándam Samsóni sitim, Deo ita volénte, prosíliit, cur incredíbile videátur ex Mártyrum relíquiis unguéntum suáve scaturíre? Mínime certe iis, quibus Dei poténtia et honor quo Sanctos suos áfficit, perspécta sunt et exploráta.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris : et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dñm.

AD VESPERAS

℣. Exsultábunt, ut supra.

Ad Magnif Ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

In Diœc. Rimouskien.

DOM. II NOVEMBRIS

DEDICATIO ECCLES. CATHEDR. et eccles. consecrat. Diœc.

I classis

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesiæ.

In Vic. Ap. Grouard

DIE 11 NOVEMBRIS

SANCTI MARTINI

EP. ET CONF.

TITUL. ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia de Communi Conf. Pont., præter seq.

AD I VESPERAS

Ant. de Laudibus, ut in Brev.; pss. de dominica, sed loco ultimi ps. 116 Laudáte Dóminum.

Capit. et hymnus de Communi.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. O beátum virum, * cujus ánima paradísum póssidet! Unde exsúltant Angeli, lætántur Archángeli, chorus Sanctórum proclámat, turba Vírginum invítat : Mane nobíscum in ætérnum.

Oratio

Deus, qui cónspicis quia ex nulla nostra virtúte subsístimus : concéde propítius; ut, intercessióne beáti Martíni Confessóris tui atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invit. et hymnus ut in Brev.

In I Nocturno

Ant. 1, 2 et 3, cum psalmis, ut in Brev.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Pater. Absol. Exáudi. Bened. Benedictióne.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum

Lectio i Cap. 3, 1-7

Fidélis sermo : Si quis episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo epíscopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non violéntum, non percussórem, sed modéstum: non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum, fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit, quómodo Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum, ne in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Opórtet autem illum et testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt, ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

℟. Hic est Martínus, eléctus Dei Póntifex, cui Dóminus post Apóstolos tantam grátiam conférre dignátus est, * Ut in virtúte Trinitátis Deíficæ mererétur fíeri trium mortuórum suscitátor magníficus. ℣. Sanctæ Trinitátis fidem Martínus conféssus est. Ut.

Bened. Unigénitus.

De Epístola ad Titum

Lectio ii Cap. 1, 7-11

Opórtet enim epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem : non supérbum, non iracúndum, non violéntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum; sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum sanctum, continéntem,

amplecténtem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem : ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradícunt, argúere. Sunt enim multi étiam inobediéntes, vaníloqui et seductóres : máxime qui de circumcisióne sunt : quos opórtet redárgui : qui univérsas domos subvértunt, docéntes quæ non opórtet, turpis lucri grátia.

℟. Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso subíre propter eos labórem : * Fiat volúntas tua. ℣. Oculis ac mánibus in cælum semper inténtus, invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat. Fiat.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 2, 1-8

Tu autem lóquere quæ decent sanam doctrínam : Senes ut sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia : Anus simíliter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino serviéntes, bene docéntes : ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant, prudéntes, castas, sóbrias, domus curam habéntes, benígnas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre ut sóbrii sint. In ómnibus teípsum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile : ut is, qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. O beátum virum Martínum antístitem, * Qui nec mori tímuit, nec vívere recusávit! ℣. Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem : fiat volúntas tua. Qui. Glória Patri. Qui.

In II Nocturno

Ant. 4, 5 et 6, cum psalmis, ut in Brev.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Pater. Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Martínus, Sabáriæ in Pannónia natus, cum décimum attigísset annum, invítis paréntibus ad ecclésiam

confúgiens, in catechumenórum númerum adscríbi vóluit. Quíndecim annos natus in milítiam profécتus, primum in Constántii, deínde Juliáni exércitu militávit. Qui, cum nihil habéret præter arma et vestiméntum quo tegebátur, Ambiáni, páuperi ac nudo, ab eo peténti ut Christi nómine sibi eleemósynam tribúeret, partem chlámydis dedit. Cui sequénti nocte Christus, dimidiáta illa veste indútus, appáruit, hanc mittens vocem : Martínus catechúmenus hac me veste contéxit.

℟. Oculis ac mánibus in cælum semper inténtus, * Invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat. ℣. Dum sacraménta offérret beátus Martínus, globus ígneus appáruit super caput ejus. Invíctum.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Decem et octo annos cum habéret, baptizátus est. Quare, relícta militári vita, ad Hilárium Pictaviénsem epíscopum se cóntulit, a quo in acolythórum númerum redáctus est. Post, factus epíscopus Turonénsis, monastérium ædificávit, ubi cum octogínta mónachis sanctíssime aliquámdiu vixit. Qui, cum póstea ad Candacénsem vicum suæ diœcésis in gravem febrim incidísset, assídua Deum oratióne precabátur, ut se ex illo mortáli cárcere liberáret. Quem audiéntes discípuli, sic rogábant : Cur nos, pater, déseris? cui nos míseros derelínquis? Quorum voce commótus, Martínus ita Deum orábat : Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem.

℟. Beátus Martínus óbitum suum longe ante præscívit, dixítque frátribus, * Dissolutiónem sui córporis imminére, quia judicábat se jam resólvi. ℣. Víribus córporis cœpit repénte destítui, convocatísque discípulis dixit. Dissolutiónem.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Sed, cum eum in illa veheménti febre supínum orántem vidérent discípuli, supplíciter ab eo petiérunt, ut, convérso córpore, tantísper, dum remítteret morbi vis,

pronus conquiésceret. Quibus Martínus, Sínite me, inquit, cælum pótius quam terram aspícere, ut, suo jam itínere itúrus ad Dóminum, spíritus dirigátur. Instánte jam morte viso humáni géneris hoste, Quid, inquit, astas, cruénta béstia? nihil in me funéste repéries. Ea in voce, unum et octogínta annos natus, ánimam Deo réddidit; quam Angelórum chorus excépit, eósque divínas canéntes laudes multi, in primísque sanctus Severínus Coloniénsis epíscopus, audiérunt.

℟. Dixérunt discípuli ad beátum Martínum : Cur nos, pater, déseris, aut cui nos desolátos relínquis? * Invádent enim gregem tuum lupi rapáces. ℣. Scimus quidem desideráre te Christum, sed salva sunt tibi tua prǽmia : nostri pótius miserére, quos déseris. Invádent enim. Glória Patri. Invádent enim.

In III Nocturno

Ant. 7, 8 et 9, cum psalmis, ut in Brev.

℣. Tu es sacérdos in ætérnum.

℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 11, 33-36

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nemo lucérnam accéndit et in abscóndito ponit neque sub módio, sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 7 Comment. in Luc. c. 11, post initium

Quia in superióribus Ecclésiam Synagógæ prætulit, hortátur nos ut fidem pótius nostram ad Ecclésiam transferámus. Lucérna enim fides est, juxta quod scriptum est : Lucérna pédibus meis verbum tuum, Dómine. Verbum enim Dei fides nostra est; Verbum Dei lux est; Lucérna est fides : Erat Lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. Lucérna autem lucére non potest, nisi aliúnde lumen accéperit.

℟. O beátum virum, in cujus tránsitu Sanctórum canit númerus, Angelórum exsúltat chorus, * Omniúmque cæléstium Virtútum occúrrit psalléntium exércitus! ℣. Ecclésia virtúte roborátur, sacerdótes Dei revelatióne glorificántur, quem Míchaël assúmpsit cum Angelis. Omniúmque.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

Hæc est lucérna quæ accénditur, virtus scílicet nostræ mentis et sensus, ut drachma illa possit, quæ períerat, reperíri. Nemo ergo fidem sub lege constítuat; lex enim intra mensúram est, ultra mensúram grátia; lex obúmbrat, grátia claríficat. Et ídeo nemo fidem suam intra mensúram legis inclúdat, sed ad Ecclésiam cónferat, in qua septifórmis Spíritus relúcet grátia, quam Princeps ille sacerdótum fulgóre supérnæ divinitátis illúminat, ne eam legis umbra restínguat.

℟. Martínus Abrahæ sinu lætus excípitur : Martínus, hic pauper et módicus, * Cælum dives ingréditur, hymnis cæléstibus honorátur. ℣. Martínus epíscopus migrávit a sǽculo : vivit in Christo gemma sacerdótum. Cælum. Glória Patri. Cælum.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Déinique lucérna illa, quam matutínis vespertinísque tempóribus, ritu véteri Judæórum, princeps sacerdótum solébat accéndere, velut sub módio sita legis evánuit; et cívitas illa Jerúsalem quæ in terris est, quæ occídit prophétas, quasi in conválle fletus pósita delitéscit. Illa autem Jerúsalem quæ in cælo est, in qua mílitat fides nostra, in illo altíssimo ómnium locáta monte, hoc est Christo, non potest ténebris et ruínis hujus mundi abscóndi; sed, fulgens candóre Solis ætérni, luce nos grátiæ spiritális illúminat.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes et alias Horas, ut in Brev.

Complet. de dominica.

In Cathedr. Campivall.

DIE 22 NOVEMBRIS

SANCTÆ CECILIÆ

VIRG. ET MART.

TITULARIS

ECCL. CATHEDR.

I classis

Omnia de Communi Virg., præter seq.

AD I VESPERAS

Ant., capit. et hymnus de Laud., ut in Brev.; psalmi ut in Comm. festorum B. Mariæ Virg.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. Est secrétum, * Valeriáne, quod tibi volo dícere : Angelum Dei hábeo amatórem, qui nímio zelo custódit corpus meum.

Oratio

Deus, qui nos ánnua beátæ Cæcíliæ Vírginis et Mártyris tuæ solemnitáte lætíficas : da, ut, quam venerámur offício, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

In I Nocturno

Ant. 1, 2 et 3, cum psalmis, ut in Brev.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua.

℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Pater. Absol. Exáudi.

Bened. Benedictióne.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio i Cap. 7, 25-40

De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo : consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quǽrere solutiónem. Solútus es ab uxóre? Noli quǽrere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres : Tempus breve est : réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint : et qui flent, tamquam non flentes; et qui gaudent, tamquam non gaudéntes; et qui emunt, tamquam non possidéntes : et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur; prǽterit enim figúra hujus mundi.

℟. Cantántibus órganis, Cæcília virgo in corde suo soli Dómino decantábat dicens : * Fiat, Dómine, cor meum et corpus meum immaculátum, ut non confúndar. ℣. Biduánis et triduánis jejúniis orans, commendábat Dómino quod timébat. Fiat.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii

Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri; et divísus est. Et múlier innúpta et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro. Porro hoc ad utilitátem vestram dico, non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id, quod honéstum est, et quod facultátem prǽbeat sine impediménto Dóminum obsecrándi.

℟. O beáta Cæcília, quæ duos fratres convertísti, Almáchium júdicem superásti, * Urbánum epíscopum in vultu angélico demonstrásti. ℣. Quasi apis argumentósa Dómino deservísti. Urbánum epíscopum.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii

Si quis autem turpem se vidéri exístimat super vírgine sua, quod sit superadúlta, et ita opórtet fíeri; quod vult fáciat : non peccat, si nubat. Nam, qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitátem, potestátem autem habens suæ voluntátis, et hoc judicávit in corde suo serváre vírginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimónio jungit vírginem suam, bene facit; et qui non jungit, mélius facit. Múlier alligáta est legi quanto témpore vir ejus vivit. Quod si dormíerit vir ejus, liberáta est; cui vult nubat, tantum in Dómino. Beátior autem erit, si sic permánserit, secúndum meum consílium; puto autem quod et ego Spíritum Dei hábeam.

℟. Virgo gloriósa semper Evangélium Christi gerébat in péctore, et non diébus neque nóctibus

vacábat * A collóquiis divínis et oratióne. ℣. Expánsis mánibus, orábat ad Dóminum, et cor ejus igne cælésti ardébat. A collóquiis. Glória Patri. A collóquiis.

In II Nocturno

Ant. 4, 5 et 6, cum psalmis, ut in Brev.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Pater. Absol. Ipsíus píetas. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

CÆCÍLIA, virgo Romána, nóbili génere nata, a prima ætáte christiánæ fídei præcéptis institúta, virginitátem suam Deo vovit. Sed, cum póstea, contra suam voluntátem, data esset in matrimónium Valeriáno, prima nuptiárum nocte hunc cum eo sermónem hábuit: Ego Valeriáne, in Angeli tutéla sum, qui virginitátem meam custódit; quare ne quid in me commíttas, quo ira Dei in te concitétur. Quibus verbis commótus Valeriánus, illam attíngere non est ausus; quin étiam áddidit se in Christum creditúrum, si eum Angelum vidéret. Cui Cæcília cum sine baptísmo negáret id fíeri posse, incénsus cupiditáte vidéndi Angelum, se baptizári velle respóndit. Quare hortátu Vírginis ad Urbánum Papam, qui propter persecutiónem in Mártyrum sepúlcris via Appia latébat, véniens ab eo baptizátur.

℟. Cilício Cæcília membra domábat, Deum gemítibus exorábat, * Tibúrtium et Valeriánum ad corónas vocábat. ℣. Hæc est Virgo sápiens, et una de número prudéntum. Tibúrtium.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

INDE ad Cæcíliam revérsus, orántem et cum ea Angelum divíno splendóre fulgéntem invénit. Quo aspéctu obstupefáctus, ut primum ex timóre confirmátus est, Tibúrtium fratrem suum accérsit; qui, a Cæcília Christi fide imbútus et ab eódem Urbáno baptizátus, ipse étiam ejúsdem Angeli, quem frater ejus víderat, aspéctu dignátus est. Utérque autem paulo post, Almáchio præfécto, constánter martýrium súbiit. Qui

mox Cæcíliam comprehéndi imperat, ab eáque primum, ubi Tibúrtii et Valeriáni facultátes sint, exquírit.

℟. Cæcíliam intra cubículum orántem invénit, et juxta eam stantem Angelum Dómini: * Quem videns Valeriánus, nímio terróre corréptus est. ℣. Angelus Dómini descéndit de cælo, et lumen refúlsit in habitáculo. Quem videns.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

CUI, cum Virgo ómnia illórum paupéribus distribúta esse respondísset, eo furóre concitátus est, ut eam, in ipsíus ædes redúctam, in bálneo combúri jússerit. Quo in loco cum diem noctémque ita fuísset ut ne flamma quidem illam attíngeret, eo immíssus est cárnifex, qui ter secúri ictam, cum caput abscíndere non potuísset, semivívam relíquit. Illa tríduo post, sextodécimo Kaléndas Octóbris, Alexándro imperatóre, dúplici virginitátis et martýrii palma decoráta, evolávit in cælum. Cujus corpus ab ipso Urbáno Papa in Callísti cœmetério sepúltum est, in ejus ædibus ecclésia ipsíus Cæcíliæ nómine consecráta. Ejus et Urbáni ac Lúcii Pontíficum, Tibúrtii, Valeriáni et Máximi córpora, a Pascháli primo Pontífice inde transláta in Urbem, in eádem sanctæ Cæcíliæ ecclésia cóndita sunt.

℟. Dómine Jesu Christe, pastor bone, seminátor casti consílii, súscipe séminum fructus quos in Cæcília seminásti: * Cæcília fámula tua quasi apis tibi argumentósa desérvit. ℣. Nam sponsum, quem quasi leónem ferócem accépit, ad te quasi agnum mansuetíssimum destinávit. Cæcília. Glória Patri. Cæcília.

In III Nocturno

Ant. 7, 8 et 9, cum psalmis, ut in Brev.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 25, 1-13

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit

regnum cælórum decem virgínibus, quæ, accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 79 in Matth. post init.

QUAM ob causam in persóna vírginum hanc parábolam profert, nec qualemcúmque persónam sine discrímine súbjicit? Magna quædam de virginitáte disserúerat dicens : Sunt eunúchi, qui seípsos castravérunt propter regnum cælórum; et, Qui potest cápere, cápiat. Nec ignorábat, de virginitáte magnam esse vulgo existimatiónem, quippe cum sit ea res natúra sublímis : quod inde patet, quia neque in véteri Testaménto a priscis illis sanctísque viris culta fuit, et in novo nulla legis necessitáte jubétur. Non enim id imperávit, sed fidélium voluntáti permísit. Unde et Paulus ait : De virgínibus autem præcéptum Dómini non hábeo; et laudo quidem eum, qui hoc sectátur institútum, noléntem autem non cogo, neque eam rem præcéptum fácio.

℟. Beáta Cæcília dixit Tibúrtio : Hódie te fáteor meum esse cognátum, quia amor Dei te fecit esse * Contemptórem idolórum. ℣. Sicut enim amor Dei mihi tuum fratrem cónjugem fecit, ita te mihi cognátum fecit esse. Contemptórem.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

QUÓNIAM ígitur et magna res erat, ac de ea apud multos magna erat existimátio, ne quis, ea perfécta, se totum perfecísse putáret ac cétera neglígeret, hanc parábolam pósuit : ut osténderet, virginitátem, quamvis cétera hábeat, si misericórdiæ bonis carúerit, cum fornicatóribus éjici. Ac mérito quidem inhumánum ac misericórdia caréntem cum illis cóllocat; fornicátor enim córporum, istæ vero pecuniárum cupiditáte vincúntur. Non est autem córporum et pecúniæ par cupíditas; sed ácrior multo atque veheméntior illa córporum est. Quanto ígitur cum imbecillióre luctántur, tanto

minus vénia dignæ sunt, si vincántur. Idcírco étiam fátuas appellávit; quóniam, majóri certámine superáto, in facilióre totum perdidérunt.

℟. Cæcília me misit ad vos, ut ostendátis mihi sanctum antístitem : * Quia ad ipsum hábeo secréta quæ pérferam. ℣. Tunc Valeriánus perréxit, et, signo quod accéperat, invénit sanctum Urbánum. Quia. Glória Patri. Quia.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

LÁMPADES autem hoc loco illud ipsum virginitátis donum appéllat et sanctimóniæ puritátem : óleum vero benignitátem, eleemósynam, impénsum indigéntibus auxílium. Tardánte autem sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Non parvum témporis rursus spátium interjéctum osténdit, ut discípulos, regnum ipsíus mox futúrum exspectántes, ab ea opinióne dedúceret; id enim illi sperábant : quaprópter crebro ab hujúsmodi eos spe révocat. Ad hoc, illud quoque índicat, somnum quemdam esse mortem. Dormiérunt, inquit; média autem nocte clamor factus est : vel, ut in eádem parábola persístat, vel rursus osténdit in nocte futúram esse resurrectiónem. Clamórem étiam Paulus commémorat, dicens : In jussu, in voce Archángeli, in novíssima tuba descéndet de cælo.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes et ad alias Horas, ut in Brev.

Complet. de dominica.

In Cathedr. Victorien., Vancouver. et Reginaten.

DIE 30 NOVEMBRIS

SANCTI ANDREÆ

APOSTOLI, TITULARIS ECCLESIÆ CATHEDR.

I classis

Omnia ut in Brev.

Ad I Vesperas, ut ad II, cum ant. ad Magnif. Unus ex duóbus.

INDEX

Andreæ Ap. (30 *Nov.*)	73
Annæ Matris B. Mariæ Virg. (26 *Julii*)	27
Antonii de Padua Conf. et Eccl. Doct. (13 *Junii*)	23
Bonifatii Ep. et Conf. (5 *Junii*)	16
Cæciliæ Virg. et Mart. (22 *Nov.*)	68
Caroli Ep., Conf. et Eccl. Doct. (4 *Nov.*)	58
Columbæ Abb. (9 *Junii*)	20
Dedicatio Eccl. Cathedr. Quebecen. (11 *Julii*)	26
— S. Michaëlis Archangeli (29 *Sept.*)	44
— Eccl. Cathedr. Trifluvian. (30 *Sept.*)	45
— Ecclesiarum Quebecen. (22 *Oct.*)	58
— Eccl. Cathedr. Rimouskien. et eccl. consecrat. Diœc. (Dom. II *Nov.*)	62
Dunstani Ep. et Conf. (19 *Maji*)	1
Germani Parisiensis Ep. et Conf. (28 *Maji*)	2
Hieronymi Conf. et Eccl. Doct. (30 *Sept.*)	45
Hyacinthi Conf. (17 *Aug.*)	27
Jacobi Ap. (25 *Julii*)	26
Joannæ de Arc Virg. (30 *Maji*)	6
Joannis de Brébeuf, Isaaci Jogues et Soc. Mm. (26 *Sept.*)	39
Joannis Eudes Conf. (19 *Aug.*)	29
Ludovici Regis Conf. (25 *Aug.*)	31
Mariæ Virg. Reginæ mundi (31 *Maji*)	16
— Ssmi Nominis (22 *Sept.*)	35
— a Rosario (7 *Oct.*)	53
Margaritæ d'Youville (16 *Oct.*)	56
Mariæ Goretti Virg. et Mart. (9 *Julii*)	25
Martini Ep. et Conf. (11 *Nov.*)	62
Petri Claver Conf. (9 *Sept.*)	34
Ss. Petri et Pauli (29 *Junii*)	25
Reliquiarum sacrarum (5 *Nov.*)	61
Teresiæ Virg. (15 *Oct.*)	53
Teresiæ a Jesu Infante Virg. (3 *Oct.*)	48